sus non legatis voto, aut regulari obseruantia dicto modo vesci carnibus. Quod colligitur ex *c. Quia dies, de consecration. dist.* 5. quod est Gregorii VII. in Synodo Romana, ubi dicitur non licere in Sabbato vesci carnibus, nisi interueniente magna festiuitate: Et ita docent *Div. Anton. Sylvest. & Tabiena iidem locis, Armilla verbo Ieiunium nu.* 13. *Corduba summa quæstione* 169. At si voto quis adstrictus esset ad non edendas carnes, vel jejunandum feriis sextis, & Natiuitas Dominica incidit in Sabbatum, videtur non licere huic in Sabbato vesci carnibus. Quia dies Sabbati non inuenitur expresè in jure excepta à præcepto abstinendi à carnibus, quia excipitur feria sexta. Sed huic non est licitum edere carnes feria sexta, in quam incidit Natiuitas. Ergo nec licebit Sabbato, in quod incidit. At dicendum est posse edere: & similiter quando votum est jejunandi Sabbatis, posse vesci carnibus ea feria sexta. Ducor, quia, ut dicemus *n.*64. ille textus abstulit prorsus obligationem juris communis abstinendi illis diebus à carnibus: & solam reliquit obligationem voti vel constitutionis. At votum, vel constitutio regularis interdicentia in una harum dierum carnes, non extenduntur ad alteram diem. Ergo in altera die nulla est prohibitio. Nec obstat ratio contraria. Quia prohibitio juris communis etiam ablata est quo ad feriam sextam, respectu ligatorum voto, vel constitutione: & sola hæc voti, vel constitutionis obligatio relicta est, quatenus obligabat.

60 Sed difficultas specialis est, an hic textus, quaterus priuat adstrictos voto non edendi carnes, intelligatur de solis adstrictis voto generali abstinendi ab his. Quidam intelligunt hunc textum de iis, qui aut voto generali abstinendi ab his adstricti sunt, vel voto abstinendi die, qua eo secluso liceret carnium esus. Ut si quis voueret omnibus feriis quintis abstinere à carnibus. Ducuntur, quia quando in solis sextis feriis promittitur abstinentia à carnibus, videtur id votum accipi de esu carnium lege Ecclesiastica interdicto, non autem de permisso, qualis esset ea feria sexta. Ita docent *Joan. Andr. c. finali, n.*4. *de observ. ieiun. Ant. numer. ultim. Anchar. num. ult. Henr. num.* 1. & 2. Quare hi D. D. non concederent vouentem jejunare omnibus sextis feriis, posse ea feria sexta carnes edere. Quia eorum ratio non militat in hoc casu. Cum enim jejunium non sit feriis sextis præceptum, nequit id votum intelligi de sola re aliàs præcepta. Alii verò censent hunc vouentem jejunare, vel abstinere à carnibus sextis feriis, interrogandum esse, an si meminisset feriæ sextæ, in quam incidit Natale Dominicum, eam excepisset: & si dicat fore ut exciperet, non teneri abstinere. Si autem id nesciat discernere, præsumendum esse fore ut exciperet, si aliquantulum scrupulis prematur. Nec enim credendum est, eum etiam eo die voluisse à carnibus abstinere, & esse singularem in familia sua in piscibus sibi parandis. Ita docet *Molina tomo* 2. *de iustit. disput.* 272. *column.* 2. *vers. Exemplo sunt*. Atque idem extensiùs docet *Azor. lib.* 11. *institutionum moral. c.* 20. *q.* 3. ubi ait, quoties vouens talis euentus non meminit, credi verisimiliter posse, fore, ut eum diem excideret: & ita non teneri.

61 Sed dicendum credo teneri abstinere ea die à carnibus, siue vouerit omnibus feriis sextis abstinere ab illis, sine jejunare, nisi expresè diem illam exceperit. Ducor, quia textus indistinctè loquitur de adstrictis voto: nec est cur votum id restringatur ad esum aliàs interdictum, nisi ea restrictio ex aliquibus conjecturis finis intenti à vouente colligeretur. Deinde quia ad exemptionem à voti obligatione, non est spectandum, quod vouens vellet, aut promitteret, si meminisset, sed quid actu voluit, vel promisit. Et dum in substantialibus materiæ actu promissæ non errat, aut ea non mutatur notabiliter, votum obligat. Ut probauimus *c.*2. *n.*6. *& seqq.* At tale votum non minùs est voluntarium, quàm si vouens scivisset, & consideraret: utpote quod fuit cum cognitione singulorum, in quibus actio vouendi substantialiter versatur. Quippe occursus Natalis Dominici ea die est circumstantia omninò accidentaria actioni vouendi. Et ita loquentes de voto abstinendi à carnibus in sextis feriis, tenent *Card. eo c. Finali, in fine: & ibi Abb. n.* 3. & videtur tenere *ibi glossa verb. Nec vero*, ubi eum textum generaliter, & indistinctè intelligendum tradit. Et loquentes de voto jejunandi feriis sextis tenent *Palud.*4. *dist.*38. *q.* 3. *art.*4. *nu.*26. *Navarr. summ. Hispana c.*28. *addit. ad n.*27. *c.*21. *Cord. summ. q.*169. *Vasquez* 1. 2. *qu.*7. *art.*4. *disp.*30. *cap.* 4. *num.* 26. dicens optimè idem dicendum esse, quamuis si vouens meminisset, exciperet eum diem. Quod probat ratio tradita.

62 Rursus est difficultas de eo, qui solùm vouit abstinere ab ouis, & lacticiniis, feriis sextis, siue aliis diebus, siue ad tempus, siue in perpetuum, an possit eis vesci, quando Natale Domini incidit in feriam sextam, vel in eam diem, qua hanc abstinentiam vouit. Quod dubium procedit supposito id votum non obligare ad carnium abstinentiam, juxta dicta *numero*. 46. Videtur enim non posse. Quia textus *d. c. finali, de observ. ieiun.* solam juris communis prohibitionem abstinendi à carnibus relaxat, nullam voti obligationem auferens. Sed e. xistimo idem omnino dicendum, quod diximus *n.*58. de vo- cente abstinere ab his, quando postea ratione necessitatis o neditur sibi licentia vescendi carnibus. Nil enim refert d hoc, siue ratione necessitatis, siue ratione dispensationis an jure, concedatur ea licentia. Et eo casu, quo diximus *ibi* ipsse hunc edere lacticinia, dicendum est, etsi ea voti obligatio non relaxetur directè, tolli tamen quo ad eam diem per quamdam consequentiam. Nam ablata obligatione abstinendi à carnibus ea die, censetur consequenter ablata abstinendi à lacticiniis. At esto non liceret tunc vesci lacticiniis, dicendum esset licere vesci carnibus. Quia textus solis ligatis voto abstinendi à carnibus, non indulget facultatem eis vescendi. At votum abstinendi à lacticiniis non includit abstinentiam à carnibus: juxta dicta *numero quadragesimosexto*.

63 Tandem circa id *c. finale* dubitatur, an id relaxet generaliter, quo ad omnes fideles obligationem juris communis abstinendi à carnibus, Natali Dominico incidente in feriam sextam, aut Sabbatum: ac proinde voto, aut regulari constitutione adstricti ad non edendas carnes, si illa die eis vescantur, non peccent in jus commune, sed contra solum votum, vel constitutionem? Et quidem quamuis D. D. hæc non distinguant, duplex in hoc potest esse difficultas. Prior est, an ablato voto per dispensationem, commutationem, aut irritationem potentis hæc facere, vel constitutione regulari ablata per dispensationem prælati regularis potentis in ea dispensare, perseueret adhuc præceptum juris communis quo ad hos, abstinendi ea die à carnibus? Et meo judicio in hoc nequit esse difficultas, quin tunc quoque sit ablatum id præceptum juris communis per quamdam consequentiam: & ita his liceat vesci carnibus. Quia textus cum omnibus dis dispensat, qui nec voto, nec regulari obseruantia tenentur abstinere. At in hoc casu hi neutro modo ligantur: cum vinculum jam cessarit. Ergo cum eis censetur dispensatum, ut eo privilegio fruantur. Et ita docent *Sylvest. verb. Dominica num.* 2. *& verb. Ieiunium qu.*10. *dict.* 1. *& ibi Armilla numero* 13. *Tabiena qu.* 12. *num.*12. *ad finem, Beia in suis responsis* 2. *part. casu* 3. *Emmanuel Sà summ. verb. Ieiunium num. sexto, Ludov. Lop.* 2. *p. instruct. tract. de pœnitentia cap.*112. *de ieiunio, fol.*716.

64 Posterior difficultas est, an durantibus voto, & constitutione regulari, sit jus commune, quo ad hos ablatum, & ita si carnibus vescantur, non peccent contra id, sed contra solam constitutionem, vel votum? *Molina l.*1. *summ. cap.* 14. §. 10. *fol.*99. censet non auferri prohibitionem juris communis quo ad hos, & ita in illud peccaturos edendo carnes. Cui sententiæ satis fauet contextus litteræ clarè indicans Pontificem cum solis iis fidelibus dispensare in prohibitione juris communis, qui nec voto, nec regulari obseruantia adstricti sunt ad carnes non edendas. Cæterùm dicendum est cum omnibus fidelibus in prohibitione dispensare, relicta sola voti, vel constitutionis obligatione. & consequenter hos edendo carnes illa die, non peccaturos in jus commune, sed contra solum votum, vel constitutionem. Quippe hoc indicant ratio in eo textu tradita, nempe, ob tanti festi excellentiam, in quo lætari conuenit: quæ omnibus fidelibus est communis. Et ita censent *Abb. eo c. finali, in fine, Card. ibi num. unico, notab.* 2. *Anchar. num.* 2. *Sylvest. Tabiena, Armilla, Beja, Ludovic. Lop. num. preced.* alleg. Quare benè ait *Lud. Lop.* fratres Dominicanos vescentes carnibus illa die in refectorio contra suas constitutiones, nullius culpæ reos fore, sed solius pœnæ. Quia in solam constitutionem delinquunt, quæ eos ad solam pœnam adstringit.

65 Ultimò deducitur, quid sentiendum de adstrictis voto jejunandi die, qua incidit vigilia Natalis Dominici, an possint serotiori refectionem ita longam sumere, ut in ea die sumi consuetum est. Quod procedit supposito eam esse licitam secluso voto. De quo dicemus tractatu de jejunio. Hanc quæstionem tetigit *Petr. de Ledesm.* 2. *tom. summ. tract.* 27. *c.* 2. *post* 4. *conclusionem, diffic. unica*, & dixit spectandam esse vouentis intentionem. Si enim mens ejus fuit jejunare eo modo, quo ea die jejunium Ecclesiasticum obseruari solet, poterit refectione illa sic consueta uti. Secùs autem si intenderet se obligare ad jejunandum instar aliarum dierum. Hæc decisio est in se verissima, sed non exhaurit difficultatem. Quando enim vouentis intentio constat, nulla est difficultas circa voti obligationem. Sed difficultas est, quando de ea non constat, qualiter ex hujus voti verbis obligatio dijudicanda sit. *Manuel* 1. *tomo summæ in* 2. *editione cap.* 23. *numero* 10. ait non licere huic vouenti ea consueta refectione uti: & ita Franciscanos, qui ex voto tenentur jejunare ab omnium sanctorum festo usque ad cam vigiliam, non posse in ea uti tam lunga refectione. Ducitur, quòd ea consuetudo soli præcepto Ecclesiastico imponenti jejunium derogare potuerit: non autem naturali diuino, à quo obligatio voti consurgit. At existimo, siue votum sit specialiter jejunandi illa vigilia, siue generaliter jejunandi certo tempore, intra quod illa vigilia incidit, integrum esse huic ea serotina refectione in quantitate consueta uti. Ducor, quia etsi consuetudo nequeat voto derogare: at votum de aliqua materia non obligat aliter, quàm lex Ecclesiastica de illa. (Ut *num.* 31. probauimus.) At lex Ecclesiastica in hac die obligat ad jejunium eo modo consuetudine explicato, ita ut refectione serotina tam longa utens censeatur verè seruare jejunium Ecclesiasticum. Ergo idem dicendum est de voto illius jejunii. Item quia nemo dubitabit satisfieri illi voto, sumendo prandium summo mane, si consuetudo legitimè induceret, ut ea hora sumi posset: quamuis eo sublato usu, violaretur votum.

66 Quòd si legi alicui Ecclesiasticæ indicenti jejunium derogaretur, an tunc censeatur quoque derogatum voto de eo jejunio, sic dijudicandum est. Si jejunii votum esset specialiter de jejuniis cadentibus sub præcepto: vel de aliquo speciali,

ciali, ad quod vouens tenebatur, tunc sublato præcepto, consuetudine, vel quacumque alia ratione, auferetur quoque obligatio voti. Sicut *lib. praeced. c.* 14. *n.*8. 9. & 10. probauimus idem de juramento seruandi statuta in generali, vel aliquod speciale, secuta postea reuocatione. Quia id votum ubi aliàs non constat de speciali vouentis intentione, censetur emitti de seruandis his jejuniis, quatenus aliàs præcepta sunt. Quare cessante alio præcepto, cessabit quoque voti obligatio. Si autem non sit specialiter de jejunio præcepto, sed de jejunio voluntario alicujus temporis: ut si quis vouit jejunare Aduentu, in quem incidunt aliquæ vigiliæ, in quibus præcepto Ecclesiastico jejunandum est: tunc si illis jejuniis vigiliarum consuetudine derogaretur, cessaret obligatio præcepti Ecclesiastici, maneret tamen obligatio voti. Quia independenter à præcepto fuit, nec illi consuetudo derogare potuit.

67 Tandem si quæras, an voto satisfiat, quando actus promissus impletur absque intentione satisfaciendi, vel efficiendi eum actum: vel quando actus non est humanus: vel vi, aut metu extortus: vel alio præcepto debitus: vel dum impletur aliud præceptum: vel quando actus exercetur ob finem malum: satis diximus *l.*1. *c.*13. & 14.

68 Unum superest hic explicandum, nempe, quid dicendum sit de eo, qui peregrinationem in aliquem locum pium promisit, v. g. in templum D. Jacobi Compostellanum, & illuc postea causa alicujus negotii adit, aut stipendio conductus, aut vinctus trahitur, an voto satisfaciat, si in eo loco se ob has causas inueniens invisat templum illud, vel imaginem. Et quidem sic distinguendum est. Si objectum illius fuit sola illius templi, aut imaginis inuisio, ita ut abstractum fuerit ab itineris labore, & constaret certò hæc vouentis mens, satisfaceret voto, si qualitercumque adiecit illum locum, postea in eo se inueniens inuisat liberè templum illud, seu imaginem. Quia objectum sui voti hæc sola inuisio fuit, & hæc prorsus liberè, nulloque alio jure debita exercetur. Si autem objectum fuit inuisio illius templi, aut imaginis, unà cum itineris labore, quamuis labor itineris fuerit accessorius, existimo illum non satisfacere voto, si illuc stipendio conductus, vel vinctus a ministris Judicis adeat, vel nulla piæ peregrinationis ratione ductus: sed vel causa solius alterius negotii, vel causa solius curiositatis videndæ imaginis: ut contingit in eo, qui non animo recitandi, sed causa curiositatis, vel mandandi memoriæ legit totum officium canonicum: etsi illic se inueniens visitet liberè, animoque voti implendi, templum illud, vel imaginem. Ratio est, quia quando vinctus ducitur, est actus violentus: quando stipendio conductus, est actus alio justitiæ titulo debitus: quando non ratione peregrinandi, non fuit actus pius, nec religiosus, nec vera peregrinatio pia, quæ fuit actus pius, nec religiosus, nec vera peregrinatio pia, quæ fuit substantia rei promissæ. Quibus actibus minimè satisfit voto. (Ut probaui in locis *num. preced.* allegatis.) Et idem credo, quando notabili itineris parte sic iret: secùs quando pars illa non esset notabilis respectu totius itineris. Quia non tam strictè videntur se vouentes obligare. At verò si non mercede conductus iret voluntariè in eum locum, causa piæ visitationis illius templi, vel imaginis, etsi principaliùs adierit ob finem turpem, vel causa alterius negotii expediendi, satisfaceret voto, quamuis haberet intentionem non satisfaciendi illa peregrinatione. Ratio est, quia peregrinatio illa fuit, quo ad actus substantiam religiosa, & voluntaria, nec aliò jure debita: & intentio non satisfaciendi voto, non impedit, quin illi satisfiat. (Ut probaui in locis allegatis *n. prec.*) Et in dubio censentur emitti vota hoc posteriori modo. Quippe vouentes se aliquem locum pium distantem inuisuros, apprehendunt distantiam itineris, difficultates, expensas, ac proinde omnia illa tamquam accessoria, meritumque peregrinationis augentia promittunt. Quare DD. ut tractantes de votorum commutatione videbimus, tradunt omnium horum habendam esse rationem ad hæc vota commutanda. Sed fortiter urgere videtur contra hanc doctrinam. Quia si quis voueret se inuisurum imaginem aliquam D. Virginis distantem centum leucis, satisfaceret vitando imaginem illam delatam in locum vouentis. Ergo quomodocumque se inueniat in loco ubi est imago, satisfaciet illam inuisendo. Respondeo dupliciter posse imaginem adduci in hunc locum. Priori modo, non mutando domicilium, sed causa aliqua peculiari, ut proprio loco restituatur postea, & tunc non satisfieret, voto ea inuisione. Posteriori modo, quando imago illa mutat omnino domicilium in eum locum: & tunc satisfieret: siue adducatur in proprium vouentis locum, siue in quemcumque alium multò minùs distantem eo, in quo priùs erat imago illa collocata. Ratio est, quia vouens promisit accessoriè laborem illius itineris, & expensas: principale autem voti objectum fuit inuisio illius immaginis in eo loco distanti collocatæ. Cum ergo principale cessarit imagine aliò ducta, cessabit quoque obligatio ad accessoria.

CAPUT XII.

Obligatio votis in quavis materia etiam levi, an sit sub mortali? Et unde parvitas illa materiæ dignoscatur?

SUMMARIUM.

Votum ex se obligat sub mortali, n. 1.
Pœnitere voti emissi quale peccatum sit? n. 2.
Quot quæstiones disputandæ sunt? n. 3.
An votum materiæ totalis exiguæ, obliget sub mortali? Refertur quædam sententia, n. 4.
Proponitur sententia Auctoris, n. 5.
An possit quispiam in re illa exigua se obligare sub mortali? numero 6.
*Quid, si materia exigua sapiùs omittatur; vel sit propositum sapiùs omittendi? Remissive n.*7.
*An possit votum obligare sub mortali, & circumstantia sub veniali: Ut si non recitetur coram imagine in voto signata, vel illi non detur eleemosyna, sed alii? n.*8.
An votum vitandi venialis transgredi sit duplex veniale? Et quid, si est votum vitandi mendacii, & id committatur cum juramento, vel in judicio, aut confessione? n. 9.
Quid, si illa materia promissa non sit venialis ex materia parvitate, sed aliunde? n. 10.
An propositum committendi semper illius venialis, ut mendacii officiosi contra votum, sit mortale? n. 11.
*Post n.*11. *invenies summaria, quæ desiderantur.*

1 HAC in re conueniunt omnes DD. Catholici transgressionem voti esse ex genere suo mortalem. Quod definitum est ab Innoc. III. *c. Licet, de voto*. Et idem totius Ecclesiæ consensus approbat detestantis, ut gravissimum peccatum, matrimonia aliàs licitum iniri contra castitatis votum. Et *Actuum* 5. Ananias, & Saphira subita morte à Deo puniti sunt: quorum peccatum fuit voti transgressio erogandi omnia pauperibus. Ut ex contextu colligitur: & tradunt *D. Hieronym. in id* 1. *ad Corinth.* 7. *Si acceperis uxorem, D. Greg.* cujus sententia refertur *c. Ananias* 17. *q.*1. Et ratio est, quia opponitur altissimæ religionis virtuti, infideliter agendo in Deum, denegando obsequium ei promissum.

2 Imo pœnitere voti emissi quidem damnant ad mortale. Ita *Addit. ad Ang. in summa verb. Votum* 3. *n.*13. Et idem tenet, quando votum est perpetuum, *Angles florib.* 2. *p. q. un. de voto, artic.*5. *dub.*2. At hoc ita uniuersaliter dictum non est verum, sed ita distinguendum est. Si pœnitentia illa sit de operis ex voto debiti executione, siue præterita, siue futura, permanente voto, tale peccatum erit, quale est nolle exequi id votum. Quia idem prorsus est, ac nolle exequi votum. Et in hoc omnes conueniunt. Si autem sit pœnitentia de voto emisso, cum firmo tamen illius implendi animo, aut de operibus factis ratione voti, non ex voti suppositione, sed tantùm quis dolet eò, quòd per votum compulsus sit ea opera exequi, non est mortale. Ut colligitur ex *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 88. *art.*6. *ad* 2. *& ex Palud.* 4. *d.* 38. *q.*5. *art.*1. *n.*7. *& ex D. Antonino* 2. *p. t.* 12. *c.* 2. §. 3. *in fin.* Et docent *Cajet. eo art.*6. *statim in princ. Angel. verb. Votum* 3. *n.*13. *Sylv. verb. Votum* 2. *q.*2. 0. *Tabiena verb. Votum* 3. *q.*4. *n.*5. *Sotus l.*7. *de just. q.*2. *art.* 4. *ad* 2. *Navarr. summ. c.*12. *n.*55. *Azor. l.*11. *inst. mor. c.*15. *in fin. Valent.*2. 2. *disp.*6. *q.*6. *punct.* 3. *ad fin. Manuel* 2. *tom. summ. c.*99. *nu.*3. Imò nec est perfectum per se loquendo. Quippe idem prorsus voluntatis objectum est, præteritus vouendi actus, & futurus. At integrum est cuilibet nolle vouere in futurum. Ergo, & nolle vouisse: siquidem non dolet de actu, ad quem tenebatur. Atque ita docent. *Sotus, & Valent. ibid.* Quòd si ea pœnitentia sit in votis diuturnis, & grauis momenti, ut perpetuæ castitatis, &c. est communiter veniale. Quia nascitur ex tepiditate, & defectu perseuerantiæ, disponitque ad voti transgressionem. Ita *Cajetan. & Sotus ibidem*. Si autem votum sit de rebus non tanti momenti: nec tam diuturnis, non est communiter veniale: quando adest aliqua causa honestans. Nam absque omni prorsus causa, veniale erit. Quia contra rectam rationem est, de bono admisso pœnitere. Cum proprium pœnitentiæ objectum sit res mala. Et quia communiter afferre solet transgressionis periculum. Ita *Cajetan. & Sotus ibid.* Et generaliter esse veniale, quando deest justa causa, tradunt *Sylvester, Azor. Manuel num.* 4. proximè allegati. Et tandem posset esse ita graue transgressionis periculum consurgens ex pœnitentia illa nimis crescente, ut esset mortale non conari illam expellere. Ut benè docent *Manuel n.* 3. *Valent. eo puncto* 3. *in fin. Ludov. Lopez* 1. *part. instruct. c.*44. *ad finem*.

3 Duplex autem quæstio disputanda est. Prior de obligatione voti in materia parua. Posterior de dijudicanda ea materiæ paruitate.

4 Quæstio prior, an transgressio voti possit esse venialis ratione paruitatis materiæ? Duplex est sententia. Prior distinguit, si materia parua est partialis, est veniale. Ut si quis vouit recitare calculos virgineos, & omisit unam, vel alteram salutationem angelicam. At si est totalis materia, erit semper mortale. Ut si quis vouit recitare semel ora-

orationem Angelicam, & non recitat. Ducitur, quia transgressio totius voti habet rationem actus perfecti, & contra excellentissimam religionis virtutem. Cum peccatum veniale sit quid imperfectum. Secunda, quia materia parua dicitur respectu totius, cujus est pars. Ergo quoties fuerit totalis, est magna. Hanc sustinent *Cajetan. 2. 2. quæst. 89. articulo septimo, dub. 1. Armilla verbo Juramentum num. 12. Tabienà verbo Jurare quæst. 10. Navarr. summ. Hispana cap. 12. num. 40. Toledo lib. 4. summ. cap. 17. numer. 20.* Et dicit tutiorem *Corduba summa q. 188.*

5 Posterior sententia multò probabilior ait solam esse culpam venialem, etsi materia parua sit totalis. Ducitur, quia votum emissum de aliqua re non aliter obligat quàm lex lata à Deo, vel Ecclesia circa illam. Ut probauimus *capit. præced. n. 31.* At lex de illa exigua materia non obligaret ad mortale. Sicut nec obligat ad mortale lex de vitandis verbis otiosis, mendaciis officiosis. Item quia quamuis omnia ad religionem spectantia habeant ex ea parte magnam excellentiam, non tamen omnia illa sunt æqualis necessitatis in latitudine religionis: sed sicut materia illa parua modicus honor exhibetur Deo, ita illius emissio est modica irriuerentia. Nec est verum modicam materiam dici respectu totius, sed in ordine ad finem per votum intentum. Nec transgressio totius præcepti est simpliciter actus perfectus; quando materia est leuis, sed secundùm quid, nempe, in materia leui. Et hinc constat solutio argumentorum. Tandem probatur ex iis, quæ attulimus *l. 1. c. 1. num. 4.* ubi probauimus nil referre ad præcepti obligationem sub mortali, siue materia præcepta parua sit totalis, siue partialis. Ita docent *Sotus lib. 7. de justit. quæstione secunda, artic. 1. columna tertia, versic. Conclus. ergo, Navarr. summ. Lat. cap. 12. numero 40. Palacios 4. d. 38. disput. prima, conclus. sexta fol. 839. Anglas floribus 2. part. qu. unic. de voto, articulo secundo, difficult. 2. Enriquez lib. 5. de pœnit. cap. 20. nu. 4. commento, literæ M. Arragon. 2. 2. qu. 88. artic. 3. dubio primo, conclus. tertia, Eumanuel Sà summa, verbo Votum, in principio num. 15. Azor. lib. 11. institutionum moral. c. 15. q. 4. Val. 2. 2. disp. 6. qu. 6. punct. 4. q. 2. Mau. 2. to. summ. c. 99. n. 1. Petr. de Ledesf. 2. to. summ. tract. 10. c. 3. dub. 1.* Atque alios retulimus *lib. præc. c. 4. num. 23.* idem tenentes in juramento rei modicæ, in quo major est difficultas.

6 Imò quamuis vouens se obligationis vellet sub mortali in materia leui, neutiquam posset. Quia nec legislatorem posse in materia leui obligare sub mortali, probauimus *lib. 1. c. 4. num. 3.* & ita docet *Sotus lib. 7. de justit. quæstione 2. articulo 1. col. 3. versic. Per hæc: & lib. 8. qu. 1. art. 7. dub. 1. Corduba summ. qu. 188. puncto 1. Ni rampoco, Petr. de Ledesma eodem cap. tertio, dub. 2.*

7 An verò si modicæ materiæ promissæ omittantur omnino; vel sit propositum omittendi sit mortale: diximus *l. 1. c. 4. à num. 10.*

8 Hinc primò deducitur posse votum obligare sub mortali, quo ad rem principaliter promissam, & sub veniali quo ad circumstantiam accessoriam. Quòd res promissa sit materia grauis, & circumstantia leuis. Ut si quis voueat recitare coram tali imagine B. Virginis, vel aliquam eleemosynam erogaturum: votum principale obligabit ad mortale: circumstantia autem, nempe, ut sit hæc imago specialis, obligabit communiter sub veniali. Quippe communiter æquale, aut ferè æquale est D. Virginis obsequium: & ita res leuis est mutatio illa. At posset esse mortalis ex circumstantia multò majoris cultus diuini, orando coram una, vel illi erogando eleemosynam, propter multò majorem deuotionem, & populi concursu, quæ excitantur illuc confluendo, illique offerendo, aut propter majorem notabiliter paupertatem imaginis, cui promissio facta est. Et eodem modo judicandum est, si promissio fiat dandi imagini unius sancti, vel uni pauperi, & detur imagini alterius sancti, vel alteri pauperi. Quippe in his votis promissio fit directè Deo, & ipsi acquiritur jus, non autem sanctis, aut pauperi illi, antequam ipsi intimetur, & ab eo acceptetur: ac proinde grauitas mutationis, ut constituat mortale, est pensanda penès majorem notabiliter honorem diuinum.

9 Secundò deducitur, transgressionem voti vitandi alicujus venialis, & mendacii, esse duplicem solam culpam venialem: alteram contra votum, alteram verò contra naturale non mentiendi præceptum. Quia id votum non aliter obligat, quàm præceptum naturale vitandi illius venialis, quod tantùm obligat sub veniali. Ita *Sotus* duplici loco, quem *n. 5.* allegavi, *Navarr. summ. Lat. c. 12. n. 65. Hispana c. 28. additione ad cumd. num. Petr. de Ledef. 2. to. summ. tract. 10. c. 3. dub. 1. ad 3. Emmanuel Sà summ. verb. Votum in princip. numer. 15. & 22.* Quod intellige, quando mendacium id esset veniale, nam si esset mortale, quia perniciosum, aut in materia graui in judicio, aut confessione, aut cum juramento, esset mortale contra votum: nisi votum esset limitatum de non dicendo mendacio officioso: tunc enim reliqua mendacia, aut perniciosa, aut cum juramento, vel in confessione, aut judicio, non essent contra votum.

10 Quatenus autem diximus votum venialis vitandi obligare sub solo veniali, intelligendum est, quando illud veniale est tale ex genere suo ob materiæ paruitatem, & ob id incapacem mortalis culpæ: nam si materia esset notabilis quantitatis, & sufficientis ad obligationem sub mortali, accedente præcepto obligante ex se sub mortali, obligaret votum sub mortali: quamuis secluso eo voto esset sola venialis culpa, aut nulla. Ut ludere in notabili quantitate, est veniale ratione prodigalitatis, & aliquando vacaret omni culpa, esset tamen mortale accedente voto non ludendi. Quia quantitas illa est sufficiens ad inducendam obligationem mortalem: & proinde votum accedens eam inducet: utpote quod ex genere suo obligat sub mortali, ubi materiæ leuitas id non impedit. Præceptum autem vitandæ solius prodigalitatis non obligabat ad mortale in illa materia, non ratione paruitatis materiæ, sed quia id præceptum ex se non obligat sub mortali, nisi alia malitia conjungatur. Ita *Sotus libro septimo de justitia quæstione secunda, articulo primo, colu. 4. versic. Contra hoc autem.*

11 Utrum autem sit mortale contra votum vitandi mendacii officiosi, intentio nullum hujusmodi mendacium vitandi, aut nulla committendi? Affirmant aliqui Neoterici, quibus fauet *Cajetan. 2. 2. quæst. 88. ad fin.* dicens reprehendos esse vouentes vitare verba otiosa ob periculum perpetrandæ mortalis culpæ ratione transgressionis hujus voti. Et potest probari, quia in ordine ad diuinum honorem res est magni momenti euitare mille mendacia ob Dei cultum, & majoris quidem, quàm semel calculos virgineos recitare: cujus transgressio est mortalis. At existimo non esse mortale. Ducor ex iis, quæ *lib. 1. c. 4. n. 6.* ubi hanc regulam probaui: quoties materiæ modicæ non continuantur moraliter, ita ut pro una reputentur, multiplicatio transgressionum non constituit materiam grauem sufficientem ad mortale. Qua ratione probaui *ibi numero 11.* quando votum recitandæ quotidie salutationis Angelicæ, aut erogandæ quotidie eleemosynæ paruæ, ita est alligatum diei, ut hodie omissa non obligent altero die, minimè esse mortale habere intentionem voti transgrediendi: & *ibi* satisfeci rationi oppositæ. Quod idem in hoc voto contingit. Deinde quia id votum non ampliùs obligat, quàm idem præceptum naturale omnia illa mendacia vitandi. Juxta regulam traditam *capit. præcedenti numero 31.* At intentio numquam vitandi mendacia officiosa non est mortalis contra præceptum naturale, utpote quod ad solum veniale obligat.

S U M M A R I U M.

Parvitas, & magnitudo materiæ in voto spectanda sunt, sicut in lege de eadem materia, n. 12.
Materia ex se parva est aliquando magna, & obligat sub mortali, num. 13.
Hæc quoque quantitas spectanda est ex honestate materiæ, consideratis omnibus circumstantiis, n. 14.
An aliquando materia in se honestior sit levis, & minùs honesta gravis ob illius difficultatem, vel aliam rationem? numero 15.
An votum rei valde facilis, ut semel Eucharistia recipienda, obliget ob rei dignitatem sub mortali? n. 16.
Votum fatendi venialia an obliget sub mortali, & ad aliquam confessionem? n. 17.
An votum semel fatendi, etiamsi vovens habeat sola venialia, obliget sub mortali? n. 18.
Quid de voto faciendi unius sacri? n. 19.
Quid de voto recitandi ter Pater, & Ave, *ad liberandam de purgatorio animam, aut aliam indulgentiam obtinendi: aut visitanda Ecclesia ad hoc? n. 20.*
An sit mortale bibere semel vinum contra votum illius non bibendi, aut jejunandi cum pane, & aqua? n. 21.
Quæ dicatur modica ludi quantitas contra non ludendi votum? Remissivè, n. 22.
Quantitas eroganda eleemosynæ promissa an sit metienda penès furti quantitatem, ut sit gravis, vel levis? n. 23.
An quantitas parua materia in voto consideranda sit absolutè, aut respectu totius quantitatis promissæ? n. 24.

12 QUæstio posterior. Qualiter dignoscetur magnitudo, aut paruitas materiæ in voto, ut inde culpa mortalis, aut sola venialis censeatur transgressio? Duplex regula potest assignari. Prior est. Si sit aliquod præceptum de illa materia, vel si de illa præceptum indiceretur, quantitas, quæ reputaretur magna, aut leuis illius præcepti transgressione, reputaretur talis respectu voti. Ut contingit in voto audiendi sacri unius, aut unius jejunii, &c. Sicut enim hæc reputantur materia grauis obligans sub mortali respectu præcepti Ecclesiæ, ita reputantur respectu voti. Et ratio est, quia vota non aliter obligant, quàm præcepta edita, vel edenda de eadem materia. Ut probauimus *cap. præcedenti numero 31.*

13 Est tamen maximè obseruandum materiam, quæ secundùm se est parua, & venialis respectu præcepti Ecclesiæ, aut diuini, spectantium alium finem, in ordine, ad quem parùm conducit, posse esse grauem, & capacem obligationis sub mortali respectu voti: quod contingit, quando vouens intenderet alium finem, cui notabiliter conduceret illa materia. Sicut *libro primo, cap. 4. num. 3.* probauimus materiam præcepti aliquando esse in se leuem, & incapacem obligationis sub mortali: at ex circumstantiis boni communis adjunctis, quas superior jubens attendit, posse esse grauem, & obligare sub mortali: ubi exempla adhibuimus. Item quia (ut docet optimè *Vasquez 1. 2. quæst. 69. disputat. 158. capit. sexto, numero 58. & 59.* alios allegans,) ipsa præcepti materia ut grauis, aut leuis dijudicetur, non est inspicienda secundùm se, sed cum ordine ad finem, ad quem à legislatore præcipitur. Neque enim omnes eumdem finem in legibus ferendis proponunt: unde infert illam transgressionem esse mortalem, quæ finis legislatoris multùm nocet, & tunc materiam esse grauem. Si ergo sic vouens, qui sui legislator est, eam materiam ex se leuem intenderet ad eum finem cultus diuini, cui ita notabiliter conduceret, esset grauis, & obligaret sub mortali. Quod probat ratio *numero præcedenti* tradita: si enim lex ederetur respiciendo illum finem, obligaret sub mortali.

14 Posterior regula est. Præcipua quoque mensura debet esse honestas illius materiæ omnibus circumstantiis pensatis. Ratio est, quia in unoquoque præcepto paruitas, & magnitudo materiæ spectantur in ordine ad immediatum præcepti finem, in quod peccatur. Cum ergo immediatus voti finis sit honos Dei: quantitas materiæ promissæ spectanda erit penès proportionem ad illum. At nulla est alia ratio potissima, ob quam res magis, aut minùs honori Dei conducat, quam major, aut minor illius honestas, attentis omnibus circumstantiis.

15 Dixi autem, *omnibus circumstantiis pensatis*: quia potest fieri, ut materia in se ipsa honestior reputetur leuis: & alia in se minùs honesta reputetur grauis ad transgressionem voti mortalem, propter aliquam circumstantiam concurrentem. Ut elicere actum charitatis Dei dignius est in se, quàm semel jejunare: at votum de illo actu est rei leuis, & obligantis sub veniali: hujus autem votum est rei grauis, & obligantis sub mortali. Quia magna jejunii difficultas, ejusque necessitas ad domandas carnis passiones præponderat dignitati alterius materiæ secundùm se sumptæ: domitis enim passionibus, & difficiliora aggrediendo, redditur homo promptior ad Dei obsequium.

16 Ex his deducitur primò, posse votum rei valde facilis obligari sub mortali, ratione maximæ dignitatis rei promissæ, & utilitatis spiritualis inde consurgentis. Ut votum semel Eucharistiæ recipiendæ obligat sub mortali, etiamsi vouens ita dispositus sit, ut id facillimum sibi esset. Et constat, quia ob hanc rationem præceptum Ecclesiæ de illa recipienda obligat sub mortali.

17 Secundò deducitur, votum fatendi veniale non obligare sub mortali. Quia id votum ad nullam confessionem obligat, sed solùm ad fatenda venialia, quando vouens fassus fuerit. At fateri tunc venialia non est ita graue, ut obliget ad mortale: eò vel maximè, quòd si de venialibus fatendi præceptum indici posset, obligare sub solo veniali.

18 Secùs autem esset de voto confessionis faciendæ, obligaret enim sub mortali, etiamsi vouens sola venialia haberet. Quia confessio illa cedit in magnum Dei honorem, & maximam confitentis utilitatem.

19 Tertiò deducitur, votum faciendi unius sacri obligare sub mortali. Quia redundat in magnum Dei honorem, & magis quàm recitare semel virgineos calculos. Atque ita defendi cum *Petro Navarra libro 1. de matrimon. disputat. 5. numero vigesimo quinto*, quamuis in promissione facta homini eum reprobaui.

20 Quartò hinc quispiam deduceret votum recitandi ter orationem Dominicam, & Angelicam, emittentem, quando Pontifex concedit sic recitantibus indulgentiam plenariam, aut libertatem animæ ex Purgatorio, peccare mortaliter omittendo. Et quidem satis probabiliter id diceret. Quia magna utilitas illius animæ est inde liberari, & consequentis indulgentiam plenariam: & videntur nimium cedere in Dei honorem hæ preces, utpote quæ eo fine recitatæ, auctoritatem sedis Apostolicæ in his indulgentiis concedendis profitentur. At hoc non ita certum est, quin satis probabiliter possit etiam contrarium sustineri. Quia cum multa exigantur ad comparandam eam indulgentiam, hæc utilitas adeò incerta non ita auget modicas illas preces, ut efficiat grauem peccati mortalis materiam. Nec professio auctoritatis Apostolicæ intenditur specialiter à vouente; & esto intenderetur, est in re modica. Sicut honos diuinus per votum rei paruæ intentus non reddit materiam grauem. At secùs esset, si quis voueret se visitaturum Ecclesiam aliquam ad fundendas preces ad libitum impositas à Pontifice, ad obtinendam indulgentiam aliquam. Qua visitare Ecclesiam recitando quascumque preces est res grauis.

21 Quintò deducitur, quid dicendum sit de voto non bibendi vini, an semel bibendo peccetur mortaliter contra votum. Quibusdam Neotericis videtur res leuis, & ita venialis. At contrarium credo. Quod tenent *D. Anton. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 2. Angelus verb. Votum 3. in fin. Sylv. verb. Votum 2. in fin. Tabienæ verb. Votum 3. qu. 8. n. 9. Navarr. summ. cap. 12. n. 53. Lud. Lop. 1. p. instruct. cap. 45. colu. 4. vers. Vovens non bibere.* Quia obligat instar præcepti Ecclesiæ de abstinendo ab aliquo esu, cujus transgressio est mortalis semel vescendo, ut semel comedendo carnes die vetita. Id tamen fatendum est, non quamcumque vini potare quantitatem esse mortale, sed illius paruitatem excusare à mortali. Videtur verò requiri ad mortale tantum vini potare, quantum in uno prandio sufficere posset pro potu communiter utentibus temperatè vino. At si esset votum jejunandi cum pane, & aqua manifestior culpa mortalis esset semel bibere, ac minor quantitas sufficeret ad mortale. Quia frangeretur id jejunium.

22 Sextò deducitur, quæ dicatur modica ludi quantitas, ut transgressio voti non ludendi censeatur venialis. De qua re latissimè diximus *libro præcedenti toto capit. decimo octavo.*

23 Tandem infertur, quantitatem eleemosynæ voto promissæ, ut sit mortalis fractio mentiendam esse penès quantitatem ad furtum mortale petitam, quando votum est de eroganda ea eleemosyna in alicujus hominis commodum, siue quia est pauper, siue quia est dicatus Deo. Quia tunc finis ille voti conuenit cum fine præcepti non furandi: & sic eadem paruitatis, ac magnitudinis materiæ mensura accipienda est, quæ in furto. At si eleemosyna promissa sit ad efficiendum aliquid in Dei honorem, metienda est quantitas penès rem illam in Dei honorem faciendam. Et ideò *numero decimo nono* diximus votum erogandæ, eleemosynæ ut fiat unum sacrum, obligare sub mortali. quamuis eleemosyna eroganda pro illo, quæ ad summum non excedit duos argenteos, nequaquam ad mortale furtum sufficeret.

24 An verò materiæ paruitas sit perpendenda absolutè, an potiùs respectu totius materiæ promissæ, diximus *libro 1. c. 4. in fine.*

C A P U T XIII.

Qualiter votum rei indeterminatæ, quo ad speciem, vel quo ad quantitatem, vel qualitatem obliget: sive hæc in se sint indeterminata, sive quia disjunctivè voventur?

S U M M A R I U M.

Quotupliciter contingat rem promissam esse indeterminatam? numero 1.
Quot quæstiones disputandæ sint? n. 2.
Quando res est ita indeterminata, ut nec quid, nec quantum promissum sit colligi possit, an obliget promissio humana, & votum? Refertur quædam sententia, n. 3.
Explicatur sententia Auctoris, n. 4.
Post n. 4. invenies alia summaria.

1 LIfariam potest aliquid indeterminatè promitti. Priori modo, quando est indeterminatum omnino quo ad speciem, vel quantitatem. Ut si quis promittat dare animal, non determinando speciem: vel triticum non determinando quantitatem. Posteriori modo; quando res est determinata quo ad speciem, & quo ad aliquam quantitatem; at indeterminata quo ad aliquam circumstantiam illius quantitatis, aut qualitatis. Ut si quis promittat eleemosynam equi, non determinando quem, vel mensuram tritici, non determinando quam, vel cujus perfectionis. Rursus vel res promissa est in se determinata, ut in exemplis adhibitis: vel quia sub disjunctione diversæ res promittuntur.

2 Triplex ergo est tractanda quæstio. Prima est de promissione rei indeterminatæ priori modo. Secunda de promissione rei indeterminatæ posteriori modo. Tertia de duabus rebus sub disjunctione promissis.

3 Quæstio prima. An cum aliquid omnino indeterminatum vouetur, ita ut nec ex circumstantiis colligi possit quid, aut quantum promissum sit, valeat votum? Quidam censent id votum irritum esse. Ut si quis vouent animal, non explicato quo animali, aut frumentum, nulla ejus explicata quantitate. Ducuntur ex *l. Triticum, & l. Ita stipulatus, in princ. ff. de verb. oblig.* ubi hujusmodi promissionem irritam esse ratione incertitudinis decernitur, eò quòd illi satisfieret tradendo animal inutile, ut muscam: vel inutile triticum, ut granum illius. Quod idem à contrario sensu probat *lex regia prima, titulo undecimo, parte quinta*, & colligit *ibi Gregorius Lop. verb. Cosa.* Ergo cum eadem prorsus ratio in voto militet, id erit irritum. Atque ita docet *Goffredus* quem referunt, & sequuntur *So. Andr. c. Ex parte n. 4. & 5. de censibus: & ibi Cardin. n. 3. oppositione 7.*

4 At dicendum est id votum valere, quantitatemque & qualitatem determinandas esse arbitrio prudentis viri, consideratis personarum, & materiæ subjectæ, & causæ promittendi circumstantiis. Ducor, quia etsi jure cuilibet ea incertitudo vitiet promissionem: ut definitum est in legibus allegatis: at ex æquitate canonica non vitiatur, sed fit reductio ad prudentis arbitrium, modo explicato. Cum de obligationis substantia, ac animo se obligandi constet. Ut tradunt *Archidiac. cap. Sunt nonnulli, num. primo, verbo Nullam 1. quæst. 1. Anton. cap. Ex parte num. 7. de censibus, ubi Abb. num. 5. & c. 1. num. quinto de decimis, Ananias cap. Cum juramento, nu. 4. de homicid. Alexand. l. Ita stipulatus 115. num. 9. ff. de verb. oblig. Jason l. Triticum, num. 4. ff. eodem titul. Tiraquell. de privilegiis pia causa, privilegio 55. num. unico, Azor. lib. 11. institutionum moral. capit. 20. quæst. 2. Molina tom. 2. de justit. disputat. 268. column. 2.* Ex quo infert *Abb. eo cap. 1. numero quinto de decimis*, non satisfieri dando minimum. Præterea quia sicut ob dotis fauorem obligatio inducitur, etiamsi dos generaliter promittatur, & quantitas definiri debet arbitrio boni viri facultatibus, & dignitate personarum inspectis, *l. Cum post §. Gener ff. de jure dotium.* Ita æquitas canonica idem in omnibus statuere debet. Tandem quia esto incertitudo in aliis vitia-

vitiaret, at in spiritualibus fauore piæ causæ numquam vitiat. Ut ex multis probat *Alex. ea l. Ita stipulatus n.28.* & latiùs *Tiraquell.* proximè allegatus, ubi multos alios refert. Et in propriis terminis voti tenent *Ant. d. c. Ex parte, n.7. & ibi Abb. n.5. Azor.* proximè allegatus. Et constabit magis ex dicendis, *n.11. in fine.*

SUMMARIUM.

Ad quid obliget votum rei indeterminatæ aliquo modo, sed non omnino? Refertur duplex textus, & videntur contrarii, numero 5.

Referuntur duplex sententia, n. 6. & 7.

Explicatur sententia Auctoris, tam circa hæc vota, quàm circa legata quantitas indeterminata, n. 8.

Quid, si qualitas rei sit indeterminata? n.9.

Quid, si id minimum non contineatur propriè sub voto? numero 10.

Quid, si verisimilis sit majus promitti, & prudentis arbitrio id colligatur, & minimum debeatur solum in dubio? n.11.

An obligetur vouens ad quantitatem, quam tempore voti cogitavit, vel si cogitasset se determinaret, vel dubius est? numero 12.

Vovens calicem, an satisfaciat dando aneum? n. 13.

Votum castitatis indeterminatè, an ad solam conjugalem liget? num. 14.

Votum eleemosyna ad quam quantitatem obliget? Et votum jejunandi ad quot jejunia, & recitandi, ad quot orationes, & jejunandi, aut recitandi aliquibus, aut multis diebus, ad quot dies obliget? n. 15.

Quid de voto jejunandi, aut recitandi diebus veneris, aut aliqua die singulis mensibus, aut quotannis? n.16.

Dubius, an voverit majus, aut minus, ad quid teneatur? numero 17.

Quando quis duas res promisit ejusdem rationis ac valore distinctas, duobus pauperibus, & non determinavit cui pretiosiorem, aut dubius est, ad quid tenentur? Et si non implevit, ad quid teneatur hæres? n. 18.

Quid quando res singularis vovetur, sed nescitur utra ex duobus, aut periit altera? n.19.

Post n.19. invenies alia summaria.

5 QUæstio secunda. Ad quid obliget votum rei non omnino incertæ, sed aliquo modo, non tamen plenè determinatæ: ut si quis voueat mensuram tritici, non explicando quam vel cujus bonitatis? Quæstio ergo est, an quacumque minima mensura, minimæque bonitatis ei voto satisfiat? Rationem dubitandi ex altera parte nobis offert *l. Titia Testamento* 40. §. *Seja, ff. de auro, argento legato*, ubi probari videtur in legato sic incerto latissimam interpretationem esse faciendam, quando est ad causam piam: censerique reliqua rem cæteris pretiosiorem. Et sic intelligit illum textum communis sententia, quam referunt, & sequuntur *Covarr. c. Indicante n. 4. de testam. Menochius de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 106. n.33.* Ex altera verò parte contrarium probare videtur *c. Ex parte, de censibus*, ubi decernitur votum soluendæ D. Jacobo, & ejus ministris, unius mensuræ tritici, intelligi de minima, quando generalis consuetudo aliud non explicaret.

6 *Abbas d. c. Ex parte n. 4. in fine*, quamuis dubius, cogitandumque relinquens, in eam partem inclinat, ut id votum intelligatur de re meliori, & maxima mensura. Ducitur, quia ratio in eo textu assignata suadere videtur eum loqui de solo voto dandi aliquid personis Ecclesiasticis. Quippe ea ratio *ibi* traditur, ne videantur tamquam exactores lucris temporalibus inhiare.

7 Alii vero sub disjunctione ajunt, id votum obligare ad minimam mensuram tradendam: vel meliùs dici obligare ad eam, quam vouens tempore voti cogitabat. Ita *Angel. verb. votum 3. numer. 22. Sylv. verb. votum 2. qu. 15.* additque si de nulla cogitabat, obligare ad eam, quam determinaret, si meminisset.

8 At tenendum est, id votum obligare ad solam mensuram minimam. Ducor, quia *d. cap. ex parte*, hoc apertè probat. Nec intellectus *Abbatis* relatus *n. 6.* consonat textui: atque ita illum impugnant *Decius regula, Semper in obscuris num. 5. ff. de reg. jur. Covarr. c. Indicante, n. 4. de testam.* Quia textus manifestè loquitur de voto mensuræ illius dandæ Ecclesiæ, & Clerici solius Ecclesiæ nomine recipiunt. Nec etiam est approbandus intellectus, quem tradit *Covarr. eod. c. Indicante num. 5.* quem approbat *Menochius n. 5.* relatus, nempe, eam decisionem procedere ex benigna Pontificis interpretatione, ne clerici lucris temporalibus inhiare videantur. Nam optimè hunc intellectum reprobat *Molina* statim allegand. Quippe si in foro conscientiæ tenebatur vouens majorem mensuram soluere, non benè consuluisset Pontifex minorem soluendam: cum ejus maximè sit conscientiis subditorum prospicere. Secundo, quia *lex Titia testam. §. Seja*, in contrarium allegata *num. 5.* potiùs probat hanc partem etiam in legatis piis incertæ quantitatis. Ut optimè ponderant *Decius d. regula Semper in obscuris num.6.* & alii, quos refert, & sequitur *Tiraquell. de privilegiis piæ causæ, privilegio 25. Molina tom. primo de just. disput.198. columna 5.* contra Auctores relatos *num. 5.* Quia legatum illud de imagine in templo collocanda, in quo non nisi aureæ, & argenteæ erant, quærens *Jurisconsultus*, an intelligeretur de imagine aurea, argentea, vel ærea definivit intelligi de argentea. Et de ærea non fuit definiendum, quæ minima erat, eò quòd in eo templo æreæ non essent, constabat voluntatem testatoris non esse, ut ærea collocaretur, quòd legata sint juxta loci usum intelligenda, *l. Nummis, ff. de legat. 3.* Quare ex iis materiis, de quibus dubitari poterat, minimam tradendam *Jurisconsultus* definiuit. Et esto id in legatis definitum esset, ut maxima mensura intelligeretur, non sequitur idem fore in votis: optimam enim discriminis rationem assignat *Abb. d. c. Ex parte n. 4.* Quòd in legatis interpretatio fiat contra hæredem, & non contra ipsummet testatorem, qui liberè reliquit: & ideò nil mirum, si latè fiat: At verò in voto fit interpretatio contra ipsummet vouentem, qui liberaliter promisit: & ideò mitior debet esse interpretatio. Tertiò, quia in obscuris est semper minimum sequendum, *regula In obscuris, de reg. jur. in 6. & regula semper in obscuris ff. eod. tit.* Tandem quia voti interpretatio strictè facienda est, ut in quantum fieri potest, minùs obliget. Ut probauimus *c. 11. n. 3.* Et cum jugum præceptorum Dei, atque adeò præcepti religionis sit suaue, & solùm obliget propter operis promissi executionem, & ne frustra obligationem voti sibi vouens impostuerit: id solùm ad satisfaciendam ei obligationis desideratur, in quo verè inuenitur substantia operis promissi. Hoc autem est minima mensura. Et ita hanc partem tuentur *Glossa d. regula In obscuris in casus positione, Host. d. c. Ex parte num. 4. Jo. And. n.3. in fin. Ant. n.3. Card. n.2. in tab.5. Anchar. n.3. & 5. Dynus d. regula In obscuris, n. 4. Decius d. regula Semper in obscuris, n. 5. & 6. Tabiena verb. Votum 3. q. 5. n. 6. Navarr. commentario 1. de regul. n.20. Covarr. d. c. Indicante, n.4. Molina* proximè alleg. *Azor. lib.11. institut. moral. c.20. q.2. in fine, & quæst.10. Valentia 2. 2. disp.6. q.6. punct.4. q.3.* Et hanc partem tamquam probabilem sequuntur *Angelus, & Sylvest.* allegati *num. præcedenti.*

9 Atque idem dicendum est, quando non est determinata rei qualitas. Ut si quis vouit dare triticum, non determinans quale, an bonum, vel malum, optimum, aut melius: in quo, & similibus euentibus satis est quæcumque qualitas, quæ censeatur sufficere ad veram operis promissi executionem: etiamsi infirma sit. Quia militant eædem rationes. Ita *Valentia n. præc.* allegatus.

10 Hæc tamen sententia duplici limitatione temperanda est. Prior est, ut intelligatur de minimo soluendo, quod continetur in re promissa. Ut si quis mensuram tritici promisit, satisfaciet soluendo minimam ex usitatis in eo loco. Si enim aliam essingere vellet, non satisfaceret. Quia sub voto illo solæ mensuræ usitatæ comprehenduntur. Ita *Gloss. c. Ex parte, verb. Parvissimam, de censibus: & ibi Host. numero 4. Jo. And. numero 3. in fine, Anchar. num. 5.* Et apertè colligitur ex *l. Titia testam. §. Seja ff. de auro, & argento legato*, ob id enim, ut *num. 8.* probauimus, *Jurisconsultus* censuit in illo legato non comprehendi imaginem æream, quæ minima erat, quòd ibi solæ argenteæ, & aureæ solitæ erant collocari.

11 Posterior est, nisi aliqua sit ratio suadens verisimilius esse mentem vouentis præsumi fuisse obligandi se ad mensuram majorem, aut rem pretiosiorem tradendam. Quia in obscuris inspicitur, quod verisimilius est *regula Inspicimus, de regul. jur. in 6. & regul. jur. in 6. & regula In obscuris inspicimus, ff. eod. tit.* Et ita limitant *Dynus regula In obscuris, n.3. de reg. jur. in 6. Navarr. commentario 1. de regular. num.20.* Et tandem tunc temporis minima illâ mensura debetur, quando attentis omnibus circumstantiis, quas *nu. 4.* in voto rei omnino incertæ spectandas diximus, res est dubia, an voluerit vouens ad majorem, vel minorem se obligare. Et in hoc dubio loquitur textus *c. Ex parte de censib.* Quod ex eodemmet textu constat, ubi priùs Pontifex expedit conjecturas consuetudinis solvendæ illius mensuræ. Item constat ex *l. Nummis §3. ff. de leg. 3.* ibi: *Nummis indistinctè legatis receptum est, ut exiguiores logati videantur, si neque ex consuetudine patrisfamilias neque ex regione, unde fuerit, neque ex contentu testamenti possit apparere.* Quare optimè *Menoc. de præsumpt. l.4. præsumpt. 106. à numer. 1. usque ad 17.* latissimè multis allegatis probat ad deprehendendam testatoris voluntatem in his legatis incertis, attendendam esse consuetudinem ipsius testatoris, & patriæ, in qua testatur, dignitatem legatarii, vires patrimonii testatoris. Et tandem concludit *n.17.* quando his omnibus perpensis circumstantiis res manet dubia, intelligendum esse legari, quod minus est. Sic ergo in votis censendum est: cùm tam legata, quàm vota ortum habeant ex liberali vouentis, aut legantis voluntate, & sint lex priuata ab ipsis profecta, & juxta illam voluntatem præsumptam judicanda sint. Præterea, quia in omnibus votis dijudicandis est priùs ad voluntatem vouentis ex conjecturis deducendam confugiendum, utpote quæ ab ipsa totam obligandi vim habent: & quando ex iis conjecturis nil discerni potest, sed res est dubia, confugimus ad id, quod jura in eo dubio presumunt. Sed objicies, hinc sequi nullum esse discrimen inter hunc casum, quando signatur aliqua quantitas, incerta tamen, ui mensura tritici: & priotem, de quo *numero 4.* egimus, quando res est omnino incerta, ut quando triticum promittitur in genere. Respondeo discrimen in eo situm esse, quòd in eo casu non intelligitur minimum, quod continetur in re promissa, ne inutilis prorsus reddatur, satisfieret enim dando tritici granum: sed semper confugitur ad prudens arbitrium; at in hoc arbitrio si res æquè dubia

sit, intelligitur minima mensura illius rei promitti. Quia in dubio, quod minus est, censetur promitti, juxta regulam desumptam ex *capit. Ex parte, de censibus*. At quando mensura aliqua, incerta tamen promittitur, intelligitur semper in dubio de minima mensura, utpote quæ utilis est: sisi prudenter attentis circumstantiis major intelligatur promissa.

12 Ex his deducitur primo fallacem esse regulam, quam ex *Angelo & Sylo.* retulimus *n. 7.* Nam non obligatur quis ad id, quod tempore voti cogitabat, vel quod statuisset, si cogitasset: sed ad id solùm, quod in suo voto comprehendit. Ut probauimus *c. 2. à n. 6. & c. 11. nu. 5.* ubi diximus quid in dubio an id sub voto comprehenderit, sit censendum. Et ita docet *Valentia 2. 2. disput. 6. q. 6. punct. 4. qu. 3. versiculo Unde benè.*

13 Secundò deducitur, promittentem calicem Ecclesiæ, non satisfacere dando ex minima materia, nempe, ærea, vel lignea: sed teneri dare argenteum, vel aureum. Quia intelligitur promissus calix cultui diuino aptus; qualis est solus argenteus, vel aureus, *c. Calix, de consecr. d. 1.* Ita *Romanus*, quem sequitur, & refert *Decius regula Semper in obscuris num. 7. ff. de regul. jur. Azor. libro 11. institutionum moral. c.20. qu. 10.*

14 Tertiò deducitur, vouentem absolutè castitatem non satisfacere sola castitate conjugali, quæ castitas etiam dicitur, *c. Nicena 31. d.* & est minima, sed teneri ad omnimodam castitatem, nisi contrarium de vouentis intentione expresè constet. Quia nomine castitatis frequentissimè omnimoda castitas intelligitur, & conjugalis est tantùm castitas secundùm quid. Et ita à communi usu verisimilius est censeri absolutam castitatem promissam. Et ita habet locum, quod diximus *n.11.* & docet *Navarr. ibi* relatus. Quod intellige juxta dicenda *numero 17.*

15 Quartò deducitur, quid dicendum sit de voto dandæ eleemosynæ, nulla signata quantitate. *Valent. 2. 2. disputat. 6. quæst. 6. punct. 4. quæst. 3. versicul. Primò igitur potest esse*, existimat huic voto satisfieri erogata quacumque minima eleemosyna. Quia in illa veræ eleemosynæ ratio saluatur. Etsi enim dicat prudentis arbitrio taxandam esse, addit tamen ita, ut sit sufficiens ad veram operis promissi executionem. Et ita solam eam quantitatem petere videtur, quæ sit vera eleemosyna, & ita se statim explicat in ratione, quam tradit. Et potest probari ex regula *n. 8.* tradita. Item quia Pontifice injugente eleemosynam indeterminatam consecuturis jubileum, fit est, ut quantumcumque diues paruam largiatur. Ut multis citatis tradit *Enrig. l. 7. de Indulgentiis cap. 10. num. 7.* Et ita verum esse intelligo, quando res omnino est dubia: nam priùs ad prudentis arbitrium confugiendum est, ut consideratis circumstantiis personæ vouentis, & causæ promittendi, & operis, ad quod promisit, explicet quantitatem præsumptam voueri. Juxta id, quod *n. 11.* diximus. Quippe ridiculum esset hominem ditissimum, etiamsi rex esset, satisfacere eleemosynæ promisse indeterminatè ob causam grauissimam, & ad rem multis sumptibus indigentem, datis duobus dipondiis. Nec est simile, quod de jubilæo affertur. Quia Pontifex explicat suam mentem esse in ipso jubilæo, ut unusquisque eleemosynam eroget juxta suam deuotionem: & ita quantitatem liberam prorsus cuilibet taxandam. Similiter dicendum est de voto recitandi, illi enim satisfieret recitata semel aliqua quauis oratione, ut Angelica: quando prudentis arbitrio consideratis prædictis circumstantiis, non censetur major quantitas promissa. Similiter promissis calculis virgineis, vulgo, *el Rosario*, satisfit recitata tertia illius parte, quæ verè Rosarium appellatur, & est minima pars sub voto inclusa. Et similiter vouens jejunare non determinans dierum numerum, satisfacit unico jejunio, quod est minimum sub eo voto comprehensum. Et similiter vouens plura jejunia, aut aliquot jejunia, seu aliquot, seu pluribus diebus se jejunaturum, aut recitaturum, & sic de similibus, nec certum numerum determinauit, satisfaciet duabus diebus jejunando, aut recitando. Quia pluralis locutio duorum numero est contenta. *Regula Pluralis, de regul. iur. in 6.* Et id votum de minimo numero, in quo potest res promissa saluari, intelligendum est. Juxta dicta *num. 8.* Quæ tamen omnia intelligenda sunt confugiendo priùs ad prudentis arbitrium, modo explicato.

16 Si autem quis promitteret se diebus Veneris, aut alia die Hebdomadæ, vel anni, jejunaturum, recitaturum, &c. nec scit discernere, an in tempus determinatum, an potiùs in perpetuum vouerit, sic distinguendum censeo. Si sit professio pro verbis voti perpetuitatem quamdam, & uniuersalitatem includentibus, credere in dubio votum censeri perpetuum. Ut in prædictis exemplis. Quia in communi concipiendi modo ea oratio indefinita æquipollet universali. Sicut de indefinita legis, vel canonis tradunt D. D. quos retuli *lib. 3. de matrimon. disputat. 44. num. 2. versic. & confirmatur.* Quare in eo dubio, & dum de contraria vouentis intentione non constat, possessio est pro communi verborum intellectu perpetuitatem quamdam denotante. Nam in dubio verba voti esse juxta communem sensum intelligenda probauimus *cap. 11. num.29.* Atque volenti se ea perpetuitate liberare, incumbet intentionem ad tempus restrictam verificare. Sicut *n. 14.* diximus vouentem castitatem teneri ad communiter intellectam, quæ est omnimoda. Et qui certus est se vouisse castitatem, tenetur ad perpetuo continendum, dum non est certus animi sui se obligandi tantùm ad tempus. Quia est professio pro verbis voti castitatis, quæ perpetuitatem quamdam important.

17 Quòd si nulla professio esset pro verbis voti, tenetur vouens in eo dubio ad id, quod minus est. Ut si quis certus est se promisisse castitatem, aut temporalem, aut perpetuam, & est omnino verborum immemor, sed tantùm certus est se alteram promisisse, ad solam temporalem, quæ minor est, tenetur. Similiter quis immemor omnino verborum voti dubitat, an promiserit omnimodam castitatem, an conjugalem solam, tenetur ad hanc, quæ minor est. Similiter quis est certus se vouisse castitatem, aut religionem, vel inter duas religiones, an strictiorem, aut minùs strictam, dubitat autem utram harum partium vouerit, tenetur ad minorem. Quia quod juris est de toto quo ad totum, idem juris est, & debet de parte quo ad partem esse, *l. Quæ de tota, in principio, ff. de rei vindic.* & latè *Everard. in suis topicis, loco à toto ad partem numero secundo*. Sed quando est dubium, an totum votum emissum sit, nec est possessio aliqua pro voto, judicandus est à toto quis liber. Ergo quando dubitat de parte grauiori, censendus est ab ea liber. Præterea quia in hoc dubio reputatur votum quasi rei indeterminatæ, in quo euentu solam minorem partem obligare probauimus *num.* 8. Quare non placet, quod tradunt *Navarr. lib. 3. cons. titulo de voto, in prima edit. cons.18. numero secundo in 2. eodem titulo consil.26. numero secundo, Manuel secundo tom. summ. cap.95. n.6. Azor. l. 11. institut. moral. c.15. qu.9. in fine*, nimirum, teneri hunc ad id, quod majus est, utpote quod est tutius.

18 Quando autem quis duas res ejusdem rationis, sed inæquales quo ad valorem voueret se daturum duabus Ecclesiis, vel duobus pauperibus, non determinans quid cui, credo posse ipsum, cui malit, pretiosiorem dare. Cum sit votum rei indeterminatæ quo ad majorem, vel minorem quantitatem alteri dandam: nec votum obliget ultra vouentis determinationem. Et ideò non est cur potius huic, quàm illi pretiosiorem dare debeat. Et si ipse non impleret votum, nec juberet impleri, credo eodem modo posse hæredem ea electione uti. Quia in solam defuncti obligationem succedit. At si vouens juberet impleri per hæredem, teneretur hæres instar obligationis similium legatorum indeterminatorum. Similia autem legata prætermissis aliis dicendi modis, quos refert *Anton. Gom. 1. tomo var. cap. 12. n. 18.* obligant, ut ipse sustinet *ibi cum Bartolo*, & aliis, & communi sententia & *Molina tomo 1. de just. disp.198. ad fin.* ut is, qui priori testamenti loco institutus est legatarius, eligat rem potiorem. Quòd eo ipso videatur magis dilectus, & prælatus à testatore. Et ob alias rationes, & textus, quibus id latiùs *ibi* probant. Quando autem dubius omnino est vouens, cui illorum vouerit rem pretiosiorem dare: videtur teneri excessum illum pretii pro ratione dubii inter eos diuidere. Ratio est, quia sciens se aliquid debere uni ex duobus, dubitans autem utri eorum debeat, tenetur inter illos pro ratione dubii rem illam diuidere. Ut tradunt D. D. in tractatu de restitutione. At hic certus est se rem illam pretiosiorem debere ex voto alteri illorum, & dubitat cui. Ergo tenetur pro ratione dubii diuidere. At verius est non teneri ad hoc, sed posse similiter eligere. Ducor eò, quòd sit dispar ratio. Nam in eo justitiæ debito tenetur utrique æquale reddere: & ideò cum in eo dubio jus utriusque æquale sit, tenetur inter eos pro rata diuidere. At in voto non nascitur obligandi vis ex jure alterius, sed ex mera vouentis promissione, & determinatione, & cum hæc sit dubia, nec præsumatur tamquam quid facti, judicandum est in fauorem libertatis voluntatis, ut non se adstrinxerit priuans se eligendi libertate. Ut ideò integrum ei erit eligere.

19 Similiter quando res determinata in singulari promittitur, at dubium oritur ex eo quòd, plures ejusmodi res sint, nec determinatur quæ danda sit, datur electio vouenti. Ut si habens duplicem servum nomine Petrum, voueat servum suum Petrum Xenodochio, nec discernere norit utrum ex illis vouerit, potest quemuis ex illis tradere. Quia non est potior ratio de uno, quam de alio. Atque ita in simili de promissione facta homini decernitur *leg. Qui ex pluribus ff. de verb. oblig. & l. regia 23. titul. 11. part. 5.* Quòd si vouens ante voti executionem obeat, hæredis erit electio: utpote qui in omne defuncti jus succedit. Quod benè docet *Molina tomo secundo de justit. disputat. 270. columna tertia, versiculo Quando res una*. Qui benè addit altera ex illis rebus pereunte diuidendam remanentem inter eum, cui promissio est facta, & promissoris hæredes. Ratio est, quia obligatio promissionis non cadit in utramque rem, ut contingit in promissione disjunctiva; sed cadit super unam earum solam, ignoratur verò quæ illarum sit. Et ideò quæ superest, venit diuidenda. Quare dicendum idem credo in voto, si vouens in simili esset dubio: re enim altera ex illis peremptâ, teneretur alteram diuidere. Quòd eadem militet ratio.

SUMMARIUM.

In votis disjunctivis potest vovens eligere utramvis partem nu.20. Et ibi an possit nunc unam, nunc alteram?

Quid, si sensus non sit disjunctivus, sed conditionalis? Et quando censetur disjunctivus? n.21.

Quid, si dubium sit utrum ex illis sensum vovens intellexerit? num. 22.

Quid, si disjunctio simul in diversas res, diversaque tempora cadat? num. 23.

Quid, si promissa sit disjunctivè duplex res, & altera præstari nequit, quia periit ante vel post votum? n. 24.

An satisfaciat dando æstimationem rei, quæ periit? n. 25.

An, si ante alterius interitum vovens elegerit rem tradendam, vel eam obtulerit, teneatur ex perente alteram dare? numero 26.

Quid, si culpa voventis res illa electa perierit? n. 27.

Qui promisit intra annum eleemosynam, vel eo transacto ingressurum religionem, & intra annum electam jam eleemosynam non implevit, an teneatur transacto anno religionem ingredi? numero 28.

An qui voluit ingressum religionis, aut Xenodochio inservire, nec admittitur in religionem, teneatur Xenodochio servire? Et an possit serviri illi religioni non ingrediendo illam? numero 29.

*Quid, si ille antea elegisset religioni ingressum? n.*30.

Quid, si tempore, quo voluit, habebat impedimentum, cum quo non poterat admitti juxta religionis promissa constitutiones aut voto emisso supervenit id impedimentum, & ita altera disjunctiua pars est impossibilis? n. 31.

*An hic satisfaciat soluendo æstimationem sui seruitii Xenodochio, vel è contra si Xenodochii obsequium esset redditum impossibile, teneatur ad religionem, vel satisfaceret seruitii Xenodochii æstimationem soluendo? Et quid, si promisisset calicem determinatum, vel ingressum religionis, an calice ille absque culpa deperdito satisfaceret data illius æstimatione? n.*32.

An vovens jejunium hujus, vel illius diei, & hanc eligens, nec jejunans, teneatur altera? n. 33.

*Quid, si vagè jejunium vel dare equum, & postea elegit diem, vel equum, nec dedit, an teneatur altera die jejunare, aut alterum equum dare? n.*34.

*An promittens jejunare die indeterminata, vel duo sub disjunctione, censeatur determinare diem, aut alteram disjunctiva partem ex eo, quod intendat determinata die ieiunare, vel determinatam partem implere? n.*35. *Et ibi, an electio sit ex eo, quod vovens cepit implere alteram partem?*

Explicatur quando sit electio perfecta, ita ut variare non liceat, num. 36.

Quæ verba importent electionem? Et quid de verbo, volo? *numero* 37.

An sit differentia quo ad potestatem, variandi facta semel electione, sive dicat vovens promirto hunc calicem, *vel* hunc, quem voluero, *vel* quem volam? *n.* 38.

An in pœnitentia Sacramentali diei indeterminata, aut disjunctiua possit pœnitens facta electione variare? n. 39.

*An quando votum, vel pœnitentia sunt disjunctiua, & non facta electione impleta est per obliuionem altera pars, vel animo satisfaciendi, censeatur impleta? n.*40.

20 QUæstio ultima. Ad quid obliget votum disjunctivum, quando utraque illius pars est apta vota materia? Certum est existente voto verè disjunctiuo, vouentis esse eligere partem, quam maluerit. Constat ex *regula, in alternatiuis, reg. jur. in* 6. *l. Stipulatus sum damam* 105. *ff. de verb. obl. l. regia* 23. *tit.* 11. *p.* 5. Ratio est, quia vouens tenetur ex vi voto ad promissionem suam veram reddendam, exequendo illam. Ad veritatem autem disjunctiuè sufficit alterutram illius partem eligere. Quare potest modò unam, modò alteram partem exequi. Ut si promisit dare quotidie eleemosynam, vel recitare calculos Virgineos, potest ad libitum una die, vel pluribus exequi unum, & alia, vel aliis alterum. Quia semper alterutrum illorum implendo satisfit voto. Et potest alterutrum eligere sibi faciendum, non perfecta electione, ita ut sit voti determinatio, nec ampliùs variare liceat, sed ad experiendum an expediat sibi illam determinare.

21 Dixi autem, quando votum est verò disjunctivum. Quippe in his votis magna diligentia adhibenda est in spectanda vouentis mente. Sæpè enim ejus est conditionaliter se obligare, ut etiam aduertimus *c.* 10. *nu.* 20. & 21. Quod quidem contingit, quando mens vouentis est se ad unum determinatè obligare, si exequi potuerit, & casu, quo nequeat, aut non exequatur, ad alterum. Ut quis voueat se daturum in eleemosynam triginta, aut decem in hoc sensu, *dabo triginta si potuero, sin minùs decem*. Similiter si promittat se post annum, vel post biennium religionem ingressurum, in hoc sensu, *ingrediar post annum, sin minùs, post biennium*. Quamuis enim hæc vota formam disjunctiuorum habeant, at reuera disjunctiua non sunt, sed conditionalia: atque ita non datur vouenti electio, sed tenetur præcisè ad illam priorem partem, si potuerit, sin minùs, ad posteriorem. Sic *Azorius libro undecimo institutionum moralium, capit. decimo quinto, quæstione nona ad finem*. Tunc autem votum erit verè disjunctiuum, quando mens vouentis consonat verbis, quia nempe, ad neutram disjunctionis partem vult præcisè se obligare, sed ad alteram, quam elegerit.

22 Quòd si vouentis intentio dubia sit, utro ex his modis se voluerit obligare, dicit *Azor. num. praced.* allegatus tutiorem partem esse eligendam, quæ est, ut sensus sit conditionalis, atque ut vota illa obligent ad id, quod majus est, & ad tempus, quod breuius est. Sed contrarium credo, nempe, præsumi intentionem disjunctivè vouendi, & ita dari vouenti electionem. Quia cum verba disjunctionem denotent, atque mentem verbis consonare præsumatur: ut latè probaui *l.*3. *de matr. disp.*15. *n.*9. præsumitur in eo dubio intentio disjunctiua, ut verba sonant. Et idem credo, quamuis vouens in eam partem magis inclinet, ut intentio fuerit conditionalis. Quia præponderat adhuc præsumptio illa ex verborum natura consurgens. Quòd si rationes utrimque probabiles essent, ita ut utramque partem opinabilem reddant, licebit vouenti cuiuis ex illis etiam minùs probabili adhærere.

23 Similiter quamuis sensus esset verè disjunctiuus, ac proinde daretur electio vouenti, potest esse, ut non quocumque tempore detur electio. Quod contingit, quando disjunctio cadit simul super diuersas res, diuersaque tempora. Ut si quis voueat hoc modo, *promitto me intra annum erogaturum eleemosynam, vel eo transacto futurum religiosum*, tunc intra annum illum poterit alterutram partem eligere, satisfacietque dando eleemosynam intra annum illum: at illo transacto absque alterius partis electione tenetur præcisè ad religionem. Quia posterior disjunctiuæ pars sensum hunc conditionalem elicit: *si non erogauero intra annum, ingrediar religionem*. Ac proinde cum conditio impleta sit, obligat votum præcisè ad religionem. Si autem intra annum elegit, & non impleuit: dicemus *n.*28.

24 Quòd si dubites, an quando sensus est prorsus disjunctiuus, & altera pars impleri nequit, obliget præcisè altera. Ut *promisi dare Xenodochio alterum ex duobus seruis, quos habeo*, perit unus, vel fugit, an teneat dare alterum? Respondetur affirmatiuè: & id quidem, siue culpa promissoris, siue absque illa res ea perierit. Habetur expresè *l. Stichum, aut Pamphilum* 95. §. 1. *ff. de solut. l. Non utique* 3. *ff. de eo quod certo loco, l. regia* 23. *tit.* 11. *p.* 5. Et ratio fundamentalis hujus est teste *Jasone l. Si Stichum, aut Pamphilum* 16. *in princip. numero secundo, ff. de solut.* Quia in alternatiua ambæ partes sunt in obligatione, *l. Illud aut illud ff. de constit. pecun.* quamuis detur promissori electio alterius soluendæ. Ergo una exempta ab obligatione, eò quòd perierit, debet altera remanere. Si tamen ante votum res altera perierat, votum non obligaret. Quia erat disjunctiuum, cujus altera pars erat impossibilis. Juxta regulam traditam *cap. decimo, numero decimoseptimo*. Si tamen altera non perierat, sed amissa erat, aut furto surrepta, non corruet votum; at non obligabit, donec res illa inueniatur: & tunc dabitur electio. Quia hic non promisit determinatè unam rem, sed unam ex duabus, ut possit eligere, & dum altera non comparet, est illa pars impossibilis, & ita non obligabit votum. Quia tamen non est omnino impossibilis, non corruet votum illud, sed suspendetur obligatio, donec possibilis sit.

25 Est tamen latum discrimen, quando periit cum promissoris culpa, vel absque illa. Quia priori casu tenetur rem illam manentem præcisè dare. Posteriori autem liberatur dando rem manentem, aut æstimationem mortuæ. Ut probat textus *l. Cum res* 49. *versic. Qua ratione ff. de leg.* 1. Quòd æquitas hoc poscat, ut cum ille posset eligere rem, quæ perierat, & ita liberaretur, atque citra suam culpam perierit, succedat ejus loco æstimatio illius: ac proinde liberetur dando ejus æstimationem, aut rem manentem. Et ita docent *Gloss. leg. Non utique* 3. *verb. Solùm ff. de eo quod certo loco, & ibi Jason numero tertio, Gregorius Lopez l.* 23. *in fine titulo undecimo part.* 5. *Ant. Gom.* 2. *tomo variar. capit.* 11. *num.* 40. *Molina* 2. *tomo de justit. disput.* 270. *colum. secunda vers. Quando verò.*

26 Hoc tamen est intelligendum, nisi postquam promissor elegisset eam rem, quæ periit, ut illam soluere, illa sine ejus culpa periret: tunc enim nec rem manentem soluere tenetur, nec æstimationem ejus, quæ periit, sed periret ei, cui facta est promissio. Ratio est, quia promissio illa alternatiua determinata præcisè fuit per illam electionem ad rem, quæ periit: & illa sola deinceps manebat obligata. Ergo si absque culpa promissoris pereat, non ipsi, sed ei, cui promissio facta est, peribit. Atque ita docent *gl. l. Stichum, aut Pamphilum, verb. Æquè ff. de solut. Paulus l. Stipulatus sum damam* 105. *in fin. ff. de verb. oblig. & ibi Jason in fin.* & *ibi* communiter DD. *Molina n. praced.* alleg. Quod intelligunt benè *Paulus, & Jason ibi*, quando electio ita perfecta est, ut promissori non ampliùs integrum sit mutare voluntatem. Dum tamen non ita perfecta electio est, quin adhuc possit mutare voluntatem, manet utraque disjunctivè maneat obligatio, sicut ante electionem. Et à fortiori idem dicendum est, si ille rem alteram promissam obtulisset Xenodochio, & illud esset in mora recipiendi. Quippe in hoc casu cessare obligationem tradit alios referens *Ant. Gom. var.*2. *c.*11. *n.*40. Intellige etiam hanc electionem perfectam, cum limitatione, quam trademus *nu.* 31. *in fine*.

27 Imò, & in voto nondum intimato parti, in cujus fauorem cedit, ut ab ipsa acceptetur, & proinde non acceptato, crederem, etsi culpa vouentis res illa semel perfectè electa perierit, eum ad nil teneri. Ducor quòd ea sola res maneat ex voto debita, & cum perierit, nequit jam votum impleri. Nec tenetur ad æstimationem, eò quòd votum nondum acceptatum minimè obliget lege justitiæ, ut ratione culpæ obliget ad æstimationem illius restituendam. Ut probauimus *c.*11. *n.*17.

28 Hinc deducitur primò, eum qui promisit se intra annum daturum eleemosynam, vel post annum ingressurum religionem, in sensu verè disjunctiuo, quo nempe, intendit se ad alterutrum solùm obligare, si eligat perfectè intra annum eleemosynam: sed solùm tenebitur deinceps illam elargiri. Ratio prioris partis est. Quia ut *n.*26. probauimus, ea perfecta electione determinatum est votum ad eam partem electam, ita ut penitus extincta sit obligatio circa reliquam. Ergo obligatio circa reliquam perinde est, ac si contracta numquam fuisset. Neque enim dicendum est, obligationem illam religionis post annum esse conditionalem, obligantem in omni euentu, in quo ante annum eleemosyna erogata non esset. Quia jam sensus non esset verè disjunctivus, sed conditionalis, obligans præcisè ad religionis ingressum, suppolita illa non erogatæ eleemosynæ conditione. Ratio autem posterioris partis est. Quia eleemosyna illa non erat in honorem temporis, & ideò transacto termino obligationi assignato manet obligatio. At si esset in alicujus temporis honorem promissa, jam eo transacto nec illa quoque obligaret. Ut *cap. sequ.* latè dicemus.

29 Secundò deducitur vouentem sub disjunctione religionis ingressum, aut ministerium Xenodochii, si non admittatur in religionem, teneri Xenodochio inseruire. Quia utraque disjunctionis pars cadit in obligationem, & sic quando altera impleri nequit, obligat præcisè reliqua. Ut diximus *n.*24. Sic *Navarr. l.*3. *cons. tit. de voto in edit. cons.*12. *num.*1. *in.*2. *cons.*27. *n.*1. *Azor. l.*11. *inst. mor. c.*22. *qu.*10. Et addit benè *Navarr.* si hic se offerat ad inseruiendum religioni, non satisfacere. Quòd non nisi ingressum vouerit, aut seruitium Xenodochii. Hoc tamen intellige, nisi id seruitium esset melius, aut manifestè æquè bonum ac seruitium Xenodochii, & vellet hoc in illud commutare.

30 Quod duplici limitatione intelligendum est. Prior est, nisi ille bona fide elegisset perfectè illum religionis ingressum. Quia jam tunc solùm religionis votum manet, ac proinde si in religionem promissam non admittatur, minimè tenetur servire Xenodochio. Juxta dicta *numero vigesimo octavo*. Sed si sit repulsa in perpetuum, manet omnino liber à voto: si verò ad tempus, pro eo tempore. Ut dicemus *cap.* 16. de absoluto ingressus religionis voto. Quid autem, si bona fide elegisset, postquam factus est religioni ineptus, dicam *num. seq. in fine*.

31 Posterior est, nisi tempore, quo vouit, esset impossibilis admissio illius in eam religionem. Ut quia habebat impedimentum omnino excludens à religione promissa. Ut si erat ex genere Hebræorum, & promisit religioni D. Hieronymi, aut seruitium Xenodochii, in sensu verè disjunctiuo: tunc enim cum altera pars esset tempore voti impossibilis, corruet votum. Juxta ea, quæ diximus *cap. decimo, numero* 17. ubi *num.* 18. diximus nil referre, siue ea promissio scienter, siue ignoranter facta sit. At verò si postea superuenit impossibilitas, quia editur illa constitutio, aut quæuis illa ineptitudo partis materiæ: ut quia ob prohibitionem redditur mala, aut ob aliquam rationem redditur indifferens, nec electa erat antea illa pars perfectè, non deobligabit votum, sed obligabit ad reliquam partem possibilem. Sicut diximus *n.*24. quando altera res periit. Et ratio est, quia quando à principio altera pars est inepta, non potuit in utramque cadere obligatio: quod est de ratione obligationis disjunctivæ, ut *n.*24. probauimus, & ideò corruit votum. At quando post votum emissum altera sola disjunctivæ pars redditur inepta, non sit tota materia inepta, nec opus est ad valoris voti conseruationem permanere obligationem circa utramque partem, sed reddita altera impossibili, aut aliàs inepta, succedit obligatio circa alteram, modo explicato *num.*24. Quòd si roges, quid si post illam materiæ ineptitudinem superuenientem, equi disjunctivè vouerat, eligat bona fide, & ignarus superuenientis ineptitudinis, illam materiam ineptam, & hoc perfecta electione determinans votum suum ad illam, an postea sciens materiam illam fuisse tempore electionis ineptam, liber maneat à voto? Respondeo negatiuè. Quia eo ipso quòd materiæ illius pars reddita est inepta, cessauit obligatio disjunctiua, & mansit altera pars præcisè debita, à quo debito non potuit eximi ratione electionis bona fide factæ materiæ jam incapacis, ut eligatur.

32 Tertiò deduceret aliquis ex dictis, hunc, qui promisit seruire Xenodochio, vel ingredi religionem, & eò quod non admittitur, tenetur seruire Xenodochio, satisfacere voto soluta Xenodochio æstimatione sui seruitii. Idque sibi suaderet ex dictis *n.* 25. ubi probauimus reddita altera parte impossibili absque vouentis culpa, satis esse solui æstimationem. Sed dicendum est non satisfacere. Tum quia solius rei redditæ impossibilis æstimationem solui posse diximus *numero vigesimoquinto*, Xenodochii autem seruitium non est redditum impossibile. Imò nec hoc reddito impossibili satisfaceret hic tradita ejus æstimatione, sed tenebitur præcisè ad religionem. Quia etsi utilitas ex vouentis ministerio in hospitium redundans sit pretio æstimabilis, at ille non solùm eam utilitatem vouit, sed personam suam diuino obsequio mancipauit interviendo Xenodochio, aut religionem ingrediendo. Quod cum personale sit, nequit pretio aliquo æstimari.

33 Quartò deducitur, vouentem verè disjunctiuè hac vel illa die jejunare, postmodumque perfectè eligentem hanc, & violantem tunc jejunium peccare, at non teneri illa die secunda signata. Quòd per electionem illam perfectam cessarit secundæ illius diei signatæ obligatio. An verò teneatur alia die loco prioris signatæ jejunare illa omissa, sic distinguendum est. Si in priori voto disjunctiuo illa dies modo electa, signata erat in temporis honorem, nulla alia die jejunare tenetur. Quia per hanc electionem nil aliud fit, quàm votum illi diei alligatum, disjunctiueque promissum, determinare ad illam diem. At transacta die, cui alligatum est votum, non ampliùs obligat. Ut *c. sequenti* dicemus. Si verò non erat signata in honorem diei, etsi postea illam eligat vouens in honorem diei, & non jejunet, tenetur quacumque alia die loco illius jejunare. Ratio est, quia perinde est electione facta, ac si jejunium illius diei determinatè voluisset, in quo casu eo non seruato tenetur ad alterum. Electio enim est juxta rei promissæ naturam, quæ est, ut dum votum non est in diei honorem, illa die non impletum alligat altera. Nec voluntas illa eligendæ ejus diei in temporis honorem potuit limitare priorem voti obligationem, quod non sic obligabat, ut id votum esset alligatum diei.

34 Quintò hinc aliquis deduceret, promisso jejunio, aut oratione promissa alicujus diei indeterminatæ, & vagæ, vel promisso equo vagè, & postea vouente determinatè, & eligente perfectè diem, vel equum, ita ut ex voto ad rem illam electam teneatur, nec possit variare, si illa die non impleat votum, vel minimè illum equum det, nec dare jam possit, nec teneri ad id jejunium, vel orationem altera die, vel ad tradendum alterum equum. Duceturque, quia hujusmodi votum rei promissæ vagè æquiualet voto disjunctivo, nempe, jejunandi hac, vel illa die: &c. & dandi hujus equi, vel illius, vel illius, &c. Et facta est jam perfecta illius diei, vel equi electio. Ergo cessat penitus obligatio alterius diei, vel equi & ideò facta impossibili rei electæ executione, manebit extincta voti obligatio. At dicendum est teneri ad jejunandum, & orandum altera die, & tradendum alterum equum. Ratio est, quia votum hoc quo ad substantiam illius jejunii, vel orationis, vel dandi equi, est determinatum prorsus: disjunctio autem implicita in eo cadit in solam circumstantiam, nempe, qualis diei, vel qualis equi. Quare electio postea diei, aut equi facta id tantùm præstat, ut tenear præcisè ad id, quod elegi, non autem absoluit ab obligatione eligendæ postea alterius diei, aut equi, quando res electa impleri nequit: eò quòd substantia rei promissæ adhuc manet obligans. Nec electio mea potuit eam variare, nec efficere, quin voto non impleto in re electa id obliget ad alteram. Quod in exemplo jejunii, & orationis est adhuc manifestius; quia cum votum fuerit diei indeterminatæ, non potuit esse in honorem temporis, in quo casu etsi votum esset verè disjunctiuum, diximus *numero praecedenti* obligare altera die, quando die signata non est impletum.

35 Tandem id superest explicandum, quandone dicatur facta perfecta alterius partis disjunctiuæ electio, ita ut ampliùs variare non liceat, sed illa præcisè obliget. Quia in re dicendum est, non sufficere simplicem rei alterius exequendæ intentionem. Quare optimè dixit *Sylv. verb. Votum* 2. *in fine*, vouentem non bibere vinum quadam die certæ hebdomadæ non determinando diem, statuentemque diem, in qua exequi intendit, non peccare bibendo postea illa die vinum, dummodo non sit ultima hebdomadæ dies, sed transferri obligationem ad alteram illius diem. Quod idem clarè videntur tenere *Palud.* 4. *d.* 15. *quæstione quarta in fine, Divus Anton. secunda parte, titulo undecimo, cap. secundo in fine*. Quare *Palacios* 4. *d.* 38. *disputat. prima post* 5. *conclus. folio* 839. *columna prima*, dicens vouentem vagè, & eligentem diem teneri præcisè ea die, intelligendus est quando perfectè elegit eam diem, tamquam voto comprehensam. Et ratio est quia intentio tempore voti, aut post illud concepta, non obligat, nisi sub voto claudatur. Ut diximus *capit. undecimo, numero quinto*. Utrum autem sit electio perfecta incipere alteram partem exequi dicemus *capit. decimo sexto, numero* 84.

36 Difficultas autem est, quando censeatur pars disjunctiua, vel dies vaga determinari præcisè, ita ut sit perfecta electio, & tunc obliget. Quod procedit, quando non constat de peculiari vouentis intentione. Qua in re sic distinguerem. Si vouens ille non cum Deo, sed secum loquens externè, aut internè, determinaret diem, aut alteram disjunctiuæ partem, crederem non censeri determinationem illam obligare, nec comprehendi sub voto, nisi expressa promissionis verba essent. Quia dum homo secum loquitur, nec expressa promissionis verba profert, non censetur quasi cum Deo contrahere, & obligationem aliquam sibi imponere: sed solùm propositum quoddam concipere. Si verò ad Deum conuersus, illumque alloquens determinaret, consideranda sunt verba interiùs, aut exteriùs prolata, & si illa electionem perfectam significent, censeretur quasi cum Deo contractum, & determinatè comprehendi diem illam sub voto, aut illam disjunctivæ partem. Secùs autem, si verba non importarent electionem perfectam. Ratio autem est, quia eodem modo judicandum est de obligatione hac, sicut de obligatione cum homine contracta. At obligatus homini ad rem aliquam vagè, vel sub disjunctione, censetur perfectè eligere, quando cum illo loquens utitur verbis electionem perfectam includentibus, ita ut jam ampliùs non sit integrum variare.

37 Quæ autem verba electionem hanc perfectam significent; disputavi latissimè *lib.6. de matrim. disp.* 22. *à n.7. usque ad* 17. Et summatim amplectendo, quod ad præsens attinet, quæ *ibi* latè dixi, remittendo illuc rationes, textus, & DD. dico induci hanc electionem perfectam per verbum, *volo*, absque infinitivo. Ut dicendo Deo: *ex illa disjunctiva quam promisi, vel ex illis diebus, quas meo voto explendo eligere possem, eligo, vel volo hanc partem, vel diem*. Idemque dicendum est, si adjungatur verbum, *Volo*, infinitivo executionem, & implementum importanti. Ut *volo habere*, vel *accipere hanc rem*, vel *hanc diem*. Si autem jungatur verbo infinitivo importanti suspensionem in futurum, aut actum alium tempore futuro gerendum, non importat electionem perfectam. Ut *volo eligere*, sed est sensus, etiamsi addatur dictio, *Omnino*, *in omni eventu habeo voluntatem*, & *desiderium eligendi*, quod non est eligere.

38 Tria demum observanda sunt. Primum est, diversum esse judicandum, dum non constat de contraria vouentis intentione, si vouens concipiat votum his verbis, sive interiùs, sive exteriùs prolatis, *promitto hunc calicem, vel hunc quem voluero*: & diversum si his concipiat, *promitto hunc calicem; vel hunc, quem volam*. Nam in priori casu ubi semel unum ex illis elegit, voluntatem mutare nequit: at in posteriori potest. Constat ex *l. Si quis stipulatus sit* 112. *ff. de verb. oblig.* ubi loquendo de promissionibus humanis id discrimen inter utrumque modum constituitur. Quare idem in voto, de quo instar promissionis humanæ judicandum est, tradit *Azor. libr.* 11. *instit. moral. c.*15. *q.*9. *in fine*. Rationem autem hujus discriminis tradit benè *Gloss. eadem lege, verb. Quem volam*: & clariùs *ibi Jason nu.*7. Quia futurum subjunctivi, *voluero*, formatur à præterito perfecto indicativi modi, & ita rem perfectam cum effectu significat *l.* 1. §. *finali ff. Quod quisque juris*. Ergo cum semel voluerit promittens, censetur electio ita perfecta, ut amplius variare non liceat. At verbum, *volam*, est futurum indicativi modi, & formatur à præsenti indicativi, & habet temporis tractum: ac proinde sensus est, *quem dare voluero*. Et ideò licet variare. Quia dum de contraria intentione non constat, præsumenda est talis intentio, qualem verba habent. Ut diximus *cap.* 11. *numero* 29. ubi limitavimus, quando proferens intelligit sensum verborum.

39 Secundum observandum est. In pœnitentia Sacramentali diei indeterminatæ, vel duarum partium disjunctivè, ut jejunandi quadam die, non signando quam, vel disjunctivè jejunandi, aut orandi, licitum est pœnitenti variare, quantumvis perfectè diem, aut disjunctionis partem elegerit. Ratio discriminis est, quia in voto ipse vovens est legislator, ac proinde legem sibi imponere potest, qua ad illam determinationem adstringatur, qua posita variare nequit. At in pœnitentia confessarius est legislator, & ita ejus solius est, ita illam diem præscribere, aut partem disjunctivè determinare, ut variare non liceat. Quòd si objicias, confessarium reliquisse pœnitentis electioni determinationem, ac proinde pœnitente determinante censeri legem confessarii ad eam rem determinatam. Respondeo opus esse ad id, ut confessarius ita expresserit, & si non expressit, non est ea obligatio imponenda. Sed solùm obligat confessarius relicta omnino electione pœnitenti, & plena variandi facultate, donec expleverit. Sicut dùm Pontifex ad lucrandam indulgentiam relinquit voluntati lucrantis determinare preces, vel eleemosynam, quantumvis hic determinarit precam vel eleemosynæ quantitatem, ut indulgentiam comparet, non censetur subinde hæc à Pontifice præscribi tamquam necessaria ita ut lucranti variare non sit integrum.

40 Ultimum est, quamvis votum, vel pœnitentia sint disjunctiva, nec facta alterius partis electione, vouens aut pœnitens impleat alteram, immemor voti, vel pœnitentiæ, vel habens intentionem non satisfaciendi illo actu: quia fortè voluit iterum implere, aut eligere alteram partem, manet liber à voto, vel pœnitentia. Quia re vera implet substantiam rei promissæ, vel in pœnitentiam injunctæ, quo ad alteram partem: & votum, ac pœnitentia tantùm obligabant ad hanc, vel illam. Sic autem implere votum, vel pœnitentiam, probauimus satis esse *lib.* 1. *c.*13. *n.* 17. & 18. Nec illa voluntas inducit electionem, nec novum votum. Item quia electio datur, quando votum, vel pœnitentia sunt unius jejunii vagè, & tamen implentur, etsi animus non satisfaciendi adsit.

CAPUT XIV.

Quando sit votum persolvendum? Et an tempore signato non impletum jam ampliùs non obliget?

SUMMARIUM.

Votum absque termino præfixo an obliget ad tempus, quod cogitavit vovens, vel intendit tunc, vel posteà? Et quando in dubio ea intentio liget? n.1.

Quid, si constituisset certum tempus, si cogitasset? n.2.

Quid, si dubius sit, an certum tempus sibi constituerit: vel scit certum tempus constitutum, & dubitat quale? n. 3.

Quid, quando nullum est tempus signatum? Refertur opinio, n.4.

Proponitur sententia Auctoris, n.5.

Qualiter commoditas voti pensanda sit? n.6.

An quo ad tempus voti determinandum sit judicandum, ac de præceptis affirmativis certo obligationis tempore carentibus? numero 7.

Quid, si differatur expectato comodiori tempore? n.8.

In voto religionis implendo quando censentur commoditas? n.9. *Et ibi remissivè, quando est votum moriendi in religione, vel ante mortem ingrediendi?*

Vovens ut sit sacerdos, an possit differre donec addiscat? numero 10. & 11.

Quamdiu possit differre vouens ut sit laicus? n.12.

An possit expectari tempus, in quo à parentibus minùs molestè feratur ingressus? n.13.

Quid de dilatione voti inseruiendi perpetuò Xenodochio? n.14.

An si vouens putet ignoranter non esse magnam moram, peccet mortaliter? n. 15.

An quævis mora post voti implendi opportunitatem sit mortalis? num. 16.

Quid, si voto dilato timeatur impedimentum perpetuum, aut diuturnum? n.17.

An votum, cui est terminus præfixus, teneatur vouens anticipare, quando timetur impedimentum? n.18.

Quid, si praueniendo redderetur multò difficilius votum? numero 19.

Quid, si tempore præfixo non impleuit, an teneatur statim? numero 20.

Quando in votis semel, vel iterum aliquid faciendi, censeatur dilatio mortalis? n.21.

An in votis religionis, & serviendi perpetuò Xenodochio, minor mora sit mortalis? n.22.

An votum assumendi Presbyterii anno vigesimoquinto obliget ad assumendos antea ordines inferiores? Et an intelligatur de anno illo completo? n.23.

Post n.23. *invenies summaria, quæ desiderantur.*

1 DUplex quæstio petitur. Prior de obligationis voti tempore. Posterior de obligationis cessatione eo transacto. Et prior procedit, quando vouens nullum tempus voto suo implendo præfixit. Si enim præfixerit, id secundùm omnes seruandum est: cum ipse sit legislator. Sed id intelligendum est, quando intentio illa temporis apprehensi tempore voti, inclusa est sub voto. Nec enim omnis intentio tunc apprehensa obligat. Ut diximus *cap.* 11. *num.* 5. Ubi etiam diximus, quid in dubio, an ea intentio comprehendatur suo voto, censendum sit. At si post votum perfectè emissum designet vouens tempus, non est in ipsius potestate quodcumque designare. Nam si longius sit eo, dicemus votum absque temporis assignatione emissum obligare, nequit ad id tempus differre absque voti transgressione. Quia obligationem brevioris temporis ex eo voto producta nequit suo nutu protrahere. Si autem sit breuius tempus, potest quidem id designare, determinando sibi tempus, quod in priori voto indeterminatum reliquerat. Quia potest nouo voto se ad breuius tempus coarctare. Quando autem hoc censeatur fieri, ubi de peculiari vouentis intentione non constat: diximus latè *c. præcedenti à num.* 35.

2 Et quamuis *Sylv. verbo Votum* 2. *q.*3. dicat censeri implicitè id determinatum tempus, quando vouens id statuisset, si cogitasset. Quod idem, etsi, non tam clarè, sentit *Tabiena verbo Votum* 3. *quæst.* 3. *num.* 4. At contrarium prorsus dicendum est. Quippe nil refert ad hoc id, quod vouens statuisset, sed id, quod verè statuit. Et ideò eam regulam reprobauimus *c. præced. n.* 22.

3 Si autem vouens meminerit, se voto implendo certum tempus constituisse, at dubitet quod sit: ita distinguendum est. Si id tempus breuius sit eo, quo votum nullo tempore præfixo obligaret, præsumendum est in fauorem libertatis vouentis, ut id tempus non constituerit. Ratio est, quia in hoc dubio, nulla præsumptio est pro strictiori illa obligatione, sed tota est pro voluntatis libertate: perinde enim est, ac dubitare an de illa temporis breuitate emissum sit. Item quia in dubio, an vouens se ad majus votum, an ad minus obligarit, censendus est ad solum minus obligatus. Ut probaui *c. præced. num.* 17. Si autem id tempus longius sit eo, quo votum obligaret, non præsumitur in hoc dubio constitutum à vouente. Ratio est, quia in hoc dubio est certa voti obligatio petentis breuius tempus illo longiori non constituto. Ergo possessio est pro obligatione illius voti breuiori tempore: & id seruandum erit, dum non constat de longiori mora ex vouentis voluntate constituta. Si autem dubitet vouens, an tempus aliquod constituerit, & an id sit brevius, an longius, præsumptio similiter erit pro obligatione voti eo tempore, quo suapte natura obligaret nullo tempore à vouente præfixo. Quia obligatio voti est certa, & secum affert suum tempus, quod obligat: excusatio autem est dubia. Et ita summatim complectendo dicendum est, in omnibus his dubiis censendum esse de voto, ac si nullum tempus esset appositum. Ut constat ex ratione tradita.

4 Quæstio ergo procedit, quando tempus non est à vouente præfixum. Quidam censent tempus illius voti exequendi præfiniendum esse juxta conscientiæ vouentis remorsum, ita ut tunc teneatur implere, quando conscientia remordens præscribit implendum: non tenetur autem, dum conscientia non remordet. Quòd remorsus huic virtualem vouentis voluntatem indicet temporis, quo se obligare voluit. Ita docent *Caject. 2. 2. qu.* 88. *art.*3. *in fine*: & *summ. verbo Votum cap. quarto pet.* 2. 2. *qu.* 88. *art.*3. *in fine*: & *summ. verbo Votum cap. quarto ad fin. Navarr. summ. c.*12. *num.*41. *Ludov. Lop.* 1. *p. instructorii* *cap.*44. *in initio*. Sed fallax, & valde incerta est hæc regula: utpote quæ pro timoratis est nimis scrupulosa: pro aliis verò nimis laxa. Quippe scrupulosos statim animus sollicitare solet, suæ verò salutis immemores, aut numquam, aut rarissimè.

5 Quare dicendum est, talem teneri votum persoluere, cum primùm judicio prudentis potest sine notabili incommodo, alias erit illius transgressor. Probatur ex *c.* 23. *Deuteron. Cùm votum voueris Domino, non tardabis reddere. Quia requirit Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Eccles.* 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio*. Et ex *cap. Non est, de voto*, ubi dicitur, non esse voti transgressorem, qui Auctoritate Apostolica illud differt. Ergo à contrario sensu transgredietur differens propria sponte. Præterea quia id generale est in omni debito absque termino præfixo, ut id statim soluendum sit, ac creditor petierit. Ut ex multis probauimus *l.* 1. *de matrim. disp.*28. *num.* 2. At Deus, cui votum fit, petit semper voti executionem, cum vouens potest commodè exequi. Ut constat ex testimoniis citatis. Tandem quia ratio ad exequendum votum obligans non est aliqua vouentis necessitas magis uno tempore, quàm alio urgens. Natura enim voti nullam vouentis necessitatem respicit, sed solùm Dei cultum. Nec est aliqua Dei necessitas plus uno tempore præmens, cum Deus re nulla nostra egeat. Sed sola ejus obligationis ratio est, acceptari à Deo tamquam in ipsius gloriam redundans. At Deus æquè illud acceptat omni tempore, quo vouens potest commodè exequi. Ergo statim ac hæc commoditas adfuerit, obligabit votum. Et in voto religionis docent *D. Trom.* 2. 2. *quæst.*189. *art.* 3. *Turrecr. cap.* 1. *in initio* 17. *quæst.* 2. Et in omnibus votis docent *Abbas cap. Non est n.* 3. & *cap. Licet, num.*13. *de voto, Anch. cap. pen. n.*1. *in fine*, & *n.*2. *de voto, Abul. cap.*3. *Num. q.*50. *ad* 4. & *qu.*96. *Paludan.* 4. *d.* 38. *qu.*3. *art.*2. *concl.*1. *num.* 13. & *concl.* 2. *num.*14. *in fine*, *D. Antòn.* 2. *p. tit.*11. *c.*1. §.2. & *c.*2. §.1. *ad fin. Sylv. verbo Votum* 2. *q.*2. & 5. *Armilla verbo Votum, num.*16. *Palac.* 4. *d.* 38. *disp.*1. *f.*841. *Aragon.*2. 2. *quæst.*88. *art.* 3. *dubio ultimo, Valentia* 2. 2. *disp.*6. *q.*6. *puncto* 4. *q.*3. *in* 3. *circumstantia, Angles floribus* 2. *p. qu. unica de voto, artic.* 2. *diffic.* 12. *Azor. l.*11. *institutionum moral. c.*15. *q.*10. *Emm. Sa in summ. verbo Votum, in prine. n.* 28. *Navarra l.* 4. *de rest. c.*4. *in nova editione n.*2. *Man.* 2. *tomo summ. c.*99. *In fine, Suarez* 3. *tom. in* 3. *p. q.*71. *art.*4. *disp.*31. *sect.* 2. *fol.* 446. *pag.* 2. *Petrus de Ledesf.* 2. *tomo summ. tract.* 10. *cap.* 3. *dubio penultimo*.

6 Hæc autem voti implendi commoditas non est attendenda simpliciter, sed etiam respectu vouentis. Quia multa tempora sunt in se commoda, quæ tamen secundùm vouentis morem non reputantur commoda: & ipse censetur se obligare tempore commodo secundùm morem suum. Ita *Cajetan.* 2. 2. *q.*88. *art.*3. *in fine*.

7 Hinc deducitur primò, quod attinet ad voti exequendi tempus, esse longè aliud judicium, quàm de tempore adimplendi præcepta alia affirmatiua determinato tempore carentia. Ut sunt præceptum eleemosynæ, honorandi parentes, &c. Quia cætera præcepta obligant ratione solius necessitatis propriæ, aut proximi: ac proinde solo ejus necessitatis tempore obligant. At votum non ratione necessitatis adstringit, sed quia acceptatur à Deo in suum cultum. Quæ ratio urget semper, quando votum commodè impleri potest. Ut *numero* 5. diximus. Ita docent *Cajet. art.*3. *in fine, Valentia nu.*5. relatus.

8 Secundò deducitur, licitè differri votum carnes tempore certo, quando speratur fore, ut alio tempore commodiùs, quietiùs, aut deuotiùs possit impleri. Quia ea censetur potestas commodè implendi. Ita docent *Angelus verbo Votum* 3. *n.*2. *Sylv. verbo Votum* 2, *q.*3. *Tabiena verbo Votum* 3. *q.*3. *n.*4. *Armilla verbo Votum n.*20. Et quamuis hi DD. non ita clarè sentiant hanc dilationem esse prorsus culpæ immunem, tantùm enim dicunt saltem non esse mortalem: at re vera sentiunt prorsus carere culpa. Idque clarè sentiunt *Palacios* 4. *d.* 38. *dispu.*1. *fol.* 832. *col.* 1. *vers. Cæterùm*, & 841. *columna* 2. & *Aragon.* 2. 2. *qu.*88. *art.*3. *in fine*. Imò *Tabiena* proximè allegatus dicit posse hunc mereri.

9 Descendendo autem ad praxim ad arbitrandam hanc commoditatem in voto religionis, existimo eum, qui nullo præfinito tempore religionis ingressum vouis, posse usque ad eam ætatem expectare, qua aptus sit ad labores religionis electæ perferendos, etsi nulla alia causa excusans concurreret. Quòd id tempus ingressui illi commodum censeatur. Quare *Corduba summ. qu.* 39. §. *El uno es*, optimè dixit duodecim annos natum vouentem religionem Minorum, posse ingressum differre usque ad decimum septimum, vel decimum octauum annum. Et minùs benè *Manuel* 2. *tom. summ. capit.* 95. *num.*9. dixit posse expectare usque ad vigesimumquintum. At si alterius religionis non ita asperæ ingressus promissus sit, aut electus, non eam moram approbarem. Quia minor ætas apta est laboribus illis perferendis. Quare non impediente aliqua alia causa judicarem posse differri usque ad annum decimumquintum, vel ad summum usque ad decimumsextum. Et juxta hæc debet intelligi *Armilla verb. Votum nu.*14. dicens vouentem non posse expectare tres, vel quatuor annos, quasi sentiat posse minus tempus expectare. Quod non est uniuersaliter verum, sed debet intelligi juxta dicta. Nec approbo, quod ait *Petr. de Ledef.* 2. *tom. summ. tra.*10. *cap.*3. *dub. penultim.* ubi ait juvenem sexdecim annorum satisfacere voto religionis, si intra triennium illud expleat, at fore transgressorem differendo octo, vel nouem annis. Quid autem, quando est votum moriendi in religione, vel ante mortem ingrediendi, dicam *c.*16. *n.*9.

10 Quòd si vouerit religionem, ut sacerdos fiat, integrum erit expectare totum tempus, quo grammaticam didicerit. Quia in nulla religione est commoditas illius addiscendæ.

11 Imò si propensus esset ad litteras addiscendas, aptusque ad illas, nec in religione promissa, aut electa esset commoditas vacandi studiis artium, aut Theologiæ, posset concedi tempus aptum ad vacandum his studiis. Et ita docent *Major in* 4. *d.* 38. *qu.*2. *columna penult. Cord. summ. quæst.* 39. §. *El uno es*. Quod intelligerem, dummodo cum mediocri cura his incumberet, nec timeatur postea perpetuum ingressus impedimentum. At id tempus concedendum non esset, si tanta commoditas in religione esset vacandum his, nisi superior illius religionis, cui admissio in illam incumbit, manifestato voto, & voluntate statim ingrediendi, consultius fore judicaret extra religionem hæc studia absolui.

12 Quòd si votum esset, ut futurus esset laicus, posset eo tempore expectare, quod prudentis arbitrio aptum esset laboribus laicorum illius religionis tolerandis, absque notabili salutis detrimento.

13 Potest etiam expectari tempus, in quo à parentibus ingressus minùs molestè feratur. Pax enim parentum, eorumque grauem molestiam vitare, justam huic dilationi causam præbet. Et ita docet *Palacios* 4. *d.* 38. *disp.* 1. *folio* 832. *colum.* 1.

14 Atque eodem modo de votis aliis alicujus perpetui obsequii judicandum censeo: ut de voto inseruiendi in perpetuum Xenodochio: posset enim expectari ætas idonea laboribus illius Xenodochii. Quia eadem est ratio.

15 Sed difficultas specialis est, quanta mora voti implendi nacta jam commoda opportunitate, sit lethalis, quando illi implendo tempus præfinitum non est? Prima regula sit. Quoties bona fide existimat licitè se differre votum, quamuis ignorantia illa sit ex se mortaliter vincibilis, modò non sit crassa, nec supina, excusare à mortali. Ratio est, quia hæc vota non aliter, nec rigidiùs obligant, quàm præcepta Ecclesiastica de eadem re. Ut probaui *c.*11. *n.*31. At ignorantia ex se vincibilis mortaliter, dummodò non sit crassa, nec supina, excusat à mortali transgressione in his præceptis. Ut latè probaui *lib.* 1. *c.*17. *n.*20. & 21. Et hoc innuit *Sylv. verbum* 2. *quæst.* 4. dicens non esse mortale, si absque magna negligentia vouens fuerit oblitus.

16 Secunda regula. Non quæcumq; mora post nactam commodam illius implendi opportunitatem, est mortalis. Constat, quia etsi votum ex eo tempore obliget ad mortale, at potest esse materiæ paruitas in mora illa, sicut in aliis rebus. Et constabit ex dicendis *n.*21.

17 Tertia regula. Si voto dilato timeatur perpetuum impedimentum illius implendi, dilatio est mortalis. Quia differens exponitur transgrediendi periculo. Ita docent *D. Tho.* 4. *d.*38. *q.*1. *art.*2. *qu.*1. *adult. & ibi Carth. qu.*2. *Abul. cap.*30. *Num. quæst.*96. *in fin. D. Anton.* 2. *p. tit.*11. *cap.*1. §.2. & *cap.*2. §. 4. *in fine, Angel. verb. Votum* 3. *num.*2. *Sylv. verb. Votum* 2. *quæstione* 3. *Armilla verb. Votum num.*20. *Tabiena verb. Votum* 3. *qu.*3. *numer.*4. *Palacios* 4. *d.*38. *disp.*1. *fol.*832. *colu.*1. *vers. Porrò autem*. Quod benè limitant *D. Anton. & Angelus ibi*, quando non urget differendi voti necessitas, sed ex negligentia differtur. Atque idem esset, quamuis non timeretur perpetuum impedimentum, at timeretur valde diuturnum, quod attenta voti obligatione esset valde notabilis mora. Quia culpa sua ei periculo se exponit.

18 Sed major difficultas est, quando voto implendo est tempus præfixum, & nondum aduenit, an teneatur vouens tempus præuenire, quando nouit fore, ut tempore præfixo nequeat. Et quidem si votum sit in diei honorem, manifestum est um teneri præuenire, sicut nec teneri postponere, quando culpa sua omisit, dicemus *n.*25. At difficultas procedit, quando votum non est alligatum tempori. Et videtur non teneri. Quia tempus obligationis nondum aduenit. Sed existimo teneri: quia ut dicemus *n.*25. id tempus statuitur, ut terminus differendi voti, atque ita sensus est, *promitto fore ut non ultra id tempus differam*. Ergo ne ultra differat, tenetur præuenire, quando tunc timet impedimentum. Et ita docet *Petrus de Ledesma de sacrament. tract. de pœnit. capit.* 8. *dubio* 4. *in fine*.

19 Hoc tamen intelligerem, nisi præueniendo redderetur executio voti notabiliter difficilior, quàm vouens existimabat. Ut si quis vouit jejunium sextæ feriæ non in diei honorem, sed assignans illam diem tamquam terminum, quo vult explere votum, ductus quòd illa die sint cibi jejunio apti, & aliis diebus non sit commoditas ciborum ob singularitatem in eis sibi parandis, vel quia non inueniuntur, non teneretur præuenire, etsi norit impedimentum futurum ea feria sexta, sed poterit postponere usque ad aliam feriam sextam: cum id votum non sit illi diei alligatum. Quia notabilis mutatio excusat à voti transgressio-